

600016151K









# DE
# ARTE OBSTETRICIA
# AUL. CORN. CELSI.

---

## COMMENTATIO HISTORICO-OBSTETRICIA

AUCTORE

HERM. IOAN. CHR. FRIDR. BRANDENBURG-SCHAEFFER

MED. CHIR. ET. ART. OBSTETR. DOCTORE.

---

GOTTINGAE,

SUMPTIBUS DIETERICHIANIS.

MDCCCXXXVII.

*Mirabilis Celsus in omnibus, quem nocturna*
*versare manu, versare diurna consulo.*

HIER. FABRIC. ab Aquapendente, Operat. chirurg. Cap. XXXIII.

CONSOBRINO OPTIMO DILECTISSIMO,

# ED. CASP. IAC. DE SIEBOLD,

PHILOS. MED. ET CHIR. DOCTORI,
ORDINIS LEON. AUR. HASSIAC. EQUITI,
MEDIC. ET ARTIS OBSTETRIC. PROFESSORI PUBLIC. ORDIN.
IN ACADEM. GEORGIA AUGUSTA,
XENODOCH. OBSTETRIC. GOTTINGENS. ACADEM. DIRECTORI,
SOCIET. REGIAE SCIENTIAR. GOTTING.,
ACADEM. REGIAE MEDIC. PARISIENS.,
SOCIET. MEDICOR. BORUSS. ET MED. CHIR. HUFELAND. BEROL.,
SOCIET. NATUR. CURIOS. ET MEDIC. DRESD. ET MARBURG. SOCIO,

NEC NON

VIRO

DOCTISSIMO, ILLUSTRISSIMO, ORNATISSIMO,

# FRANC. CAROL. NAEGELÉ,

PHILOS. MED. ET CHIR. DOCTORI,
ORDINIS LEON. ZARING. PRAEFECTO,
MAGNO DUCI BADARUM A CONS. INTIMIS,
MED. PROFESSORI PUBL. ORD.,
INSTITUT. OBSTETRIC. DIRECTORI,
SOC. NAT. CURIOS. WETTERAV., RUSSICO-CAESAR. MOSKOV.,
CAESAR. MED. VILNENSIS, HIST. NAT. AC MEDIC. HEIDELB.,
REG. DANICAE MED. HAVN., REG. MED. SUEC.,
MED. CHIR. BEROLIN., CAES. UNIVERS. VILN.,
SOCIET. HIST. NATUR. AC MED. BONNENS., SOCIET. MED. PHILADELPH.,
NEO-EBORAC. ETC. SOCIO,

HASCE

STUDIORUM SUORUM PRIMITIAS

PIO GRATOQUE ANIMO

SACRAS ESSE VOLUIT

AUCTOR.

# LECTURIS S.

Ab adolescentia jam medicinae studium summo cum ardore amplectens et per academicos annos nullam artis salutaris partem negligens, progrediente tempore, quum singulas doctrinas medicas penitiori quodam studio indagassem, ars obstetricia prae caeteris quam maxime mihi arrisit, cui omnem meam operam et omnes, qualescunque potui, vires impenderem. Ad historiae vero hujus artis studium et amorem praelectionibus praeceptoris et consobrini summe venerandi, Ed. de Siebold, sermonibusque familiaribus cum eo habitis saepiusque repetitis excitatus, ex campo antiquioris temporis historiae locupletissimo dissertationis inauguralis materiam eligere, jam dudum proposui, cujus rei suasorem praeceptorem amatissimum habui. Peculiarem vero voluptatem gaudiumque quam maximum ex Auli Cornelii Celsi opere "*de re medica*" percepi, quem non solum propter elegantiam sermonis et accuratam materiae dispositionem prae omnibus illius temporis scriptoribus aestimandum didici, sed cujus etiam gravitatem veritatemque in eo cognovi, quod de arte obstetricia, tunc temporis parum adhuc exculta, haud spernenda pertractat: ita ut haecce non modo excerpendi laudibusque efferendi, sed etiam omni qua poteram cura accuratius inspiciendi illustrandique quam maxima me tenuerit cupido. Nullo quidem modo incognitae mihi erant difficultates,

quae mihi, literas primoribus labris gustanti, in elaboranda hacce materia se objicerent, sed praeceptoris mei dilectissimi consilio rebus in arduis frui, Bibliothecaeque academiae Georgiae Augustae regiae opulentissimo thesauro omni commoditate uti licuerat; cujus instituti vere regii antistitibus, insigni humanitate et benevolo animo operam meam adjuvantibus, non satis palam gratias agere possum; grato pioque animo celeberrimi Naegelé amicitiae in itinere quodam conjunctae recordor, cujus quotidianae consuetudini et saepissimis de artis obstetriciae historia confabulationibus in opusculo meo conscribendo quam maxime me debere, amoremque meum historicarum disquisitionum magis adhuc firmasse, lubentissime profiteor, cujus viri memoriam nulla ex animo delebit oblivio: quid vero debuerim illi, qui Gottingae studiorum meorum principia tam humano animo direxerit, qui artis obstetriciae vias mihi aperuerit, et in ipsa dissertatione conscribenda me tam suaviter adjuverit "manet alta mente repostum."

Placido vero animo ea excipiatis, quae Vobis hac mea, qualiscunque sit, opella non sine juvenili quodam timore proferre, audeo: quodsi autem artis obstetriciae historiam ad vires meos parvis solummodo additamentis auxisse, animosque Vestros in Celsi de arte obstetricia merita appulisse mihi contigerit, satis superque laboris mei praemium me assecutum esse, confiteor. Valete.

Dab. Gotting. III. Aug. MDCCCXXXVII.

**A**ULUS [1]) CORNELIUS CELSUS, quem Romae [2]) nonnulli, alii Veronae [3]), alii Parmae [4]), SCRIBONIUS autem LARGUS Centu-

---

1) Etsi plurimi veterum codicum inscripti sunt "AURELIUS CORNELIUS CELSUS", recentiores tamen scriptores nomen AULUS recte praeferendum esse putabant, nam quum ambo, AURELIUS atque CORNELIUS sint familiarum nomina, diversarum familiarum nomina uno cum viro conjungere, aut ex nomine gentis, quale AURELIUS est, praenomen facere, antiquitati repugnat.

Jo. HENRIC. SCHULZE, Compendium historiae medicinae. Halae Magdeburg. 1742. 8. Lib. II. Cap. XIII. p. 301.

LUDOV. CHOULANT, Prodromus novae editionis Auli Cornelii Celsi librorum octo de medicina. Inest apparatus critici Celsiani tentamen bibliographicum. Lips. 1824. 4.

SCHILLING, *über den Celsus in der allgemeinen Encyclopädie der Wissenschaften und Künste von* J. S. ERSCH *und* J. G. GRUBER. *Leipz.* 1827. 4. *Bd.* XVI. *S.* 24.

2) "Romanum gente fuisse Cornelium nostrum, quum nomen indicat, tum quod Romanos solet Nos, Nostros etc. vocare, v. i. praefat. p. 2. 1, 8, p. 38. 2, 16. p. 92. etc. Ut vero eadem haec loca non obscure produnt, etiam Romae vitam egisse Celsum; sic idem magis comprobatur eo, quod Medicos supra commemoratos, quos Celsus vidit quorumve curationes praesens cognovit, Romae degisse constat." SEBAST. CHR. KORTHOLT, praes. GEORG. MATTHIAE, Diss. de A. Cornelii Celsi Medicina, continens additiones ad D. Clericum, J. A. Fabricium, J. H. Schulzium, J. B. Morgagnum et alios. Gotting. 1766. 4. p. 5.

3) "Quam vanitatem in pluribus sequitur et Macrobius, quem sibi civem nunc vendicant Veronenses, uti Vitruvium quoque ac Celsum et Plinium" etc. LUD. CAEL. RHODIGIN. Lection. Antiquar. Francof. et Lips. 1666. fol. Lib. XIV. Cap. V. p. 739.

4) "Aur. Cornelius Celsus Parmensis, mediocri vir ingenio, praeter alia et de Rhetorica, et de re militari, denique re rustica, etiam medicinae praecepta reliquit." JOAN. GLANDORP, Onomasticon historiae Romanae. Francof. 1589. fol. p. 278.

Qua ex causa autem GLANDORPIUS CELSUM nostrum Parmensem vocat, nescio,

ripis [1]), urbe Sicilica natum esse narrant, AUGUSTI temporibus, aurea scilicet literarum Romanarum aetate floruit; neque eum, ut falso tradunt nonnulli, TIBERII, CALIGULAE, CLAUDII vel NERONIS temporibus vixisse permulti loci, qui apud QUINCTILIANUM, COLUMELLAM, PLINIUM et apud CELSUM ipsum leguntur, satis bene demonstrant. Ita QUINCTILIANUS quidem de arte rhetorica agens CELSUM GALLIONI patri [2]) anteponit; si igitur ille ante hunc medio AUGUSTI regno eloquentia clarum vixerit, sine dubio ab initio aetatis AUGUSTEAE floruit. Etenim COLUMELLA quoque in libris de re rustica saepius CELSUM tanquam aequalem sibi commemorat [3]). Praeterea PLINIUS in historia naturali [4]) CELSUM iis adnumerat fontibus, unde ipse hauserat, et PLINIUS quidem TITO regnante decessit. Idem tradit, JULIUM GRAECINUM de vitibus CORNELIUM CELSUM descripsisse [5]); at ille quum a CALIGULA interfectus sit [6]), non est, quod

1) In capite, ubi ANTIDOTUM APULEI CELSI contra morsum canium rabiosorum perstringit SCRIBONIUS LARGUS Centuripas, nostri patriam nominat, his verbis utens: "Antidotus Apulei Celsi praeceptoris, quam quotannis componebat, et genere quodam publice mittebat Centuripas, unde ortus erat, quia in Sicilia plurimi fiunt rabiosi canes." SCRIBON. LARG. Composition. medicamentor. CXLIII. 171. edition. J. M. BERNHOLD. Argentor. 1786. 8. p. 95-96.

2) "Scripsit de eadem materia non pauca Cornificius, aliqua Stertinius, non nihil Pater Gallio: accuratius vero priores Gallione Celsus et Lenas, et aetatis nostrae Virginius, Plinius, Rutilius." Quinctil. de Instit. orat. Lib. III. Cap. I. edition. PETR. BURMANN. Lugd. Batavor. 1720. 4. p. 218.

3) "Non minorem tamen laudem meruerunt nostrorum temporum viri, Cornelius Celsus, et Julius Atticus." COLUMEL. de re rustic. Lib. I. Cap. I. "Celsus et Atticus, quos in re rustica maxime nostra aetas probavit." COLUMEL. Lib. IV. Cap. VIII.

4) Lib. I. Elench. Auctor.

5) PLIN. Natur. histor. Lib. XIV. Cap. II. IV. 5. edition. JOAN. HARDUINUS. Paris. 1741. fol.

6) "Si exemplo magni animi opus est, utamur Graecini Julii viri egregii, quem C. Caesar occidit ob hoc unum, quod melior vir erat, quam esse quemquam tyranno expediret." SENECA de beneficiis. Lib. II. CAP. XXI.

statuamus, CELSUM usque ad hos serioris aetatis CAESARES vitam duxisse; sed aptius conjicere licet, eum jam ante CALIGULAM esse mortuum. CELSUS quoque ipse, binis locis de THEMISONE Asclepiadis auditore et successore 1) loquens, nuper 2) eum decessisse tradit 3), et ASCLEPIADES jam anno 663. a. u. c. inter vivos non amplius morabatur. Praeterea nullus apud eum legitur locus, ubi ANTONII MUSAE mentionem fecit; inde, eum ante ANTONII MUSAE tempus floruisse, bene colligas. Etenim quomodo medicum non solum, ut e GALENO novimus 4), multis scriptis praeclaris illustrem, sed etiam vivum publicis

---

1) "Auditor ejus (Asclepiadis) Themison fuit, qui quae inter initia sua scripsit, illo mox recedente a vita, ad sua placita mutavit." PLIN. Natur. histor. Lib. XXIX. Cap. I. V.

2) Quoties CELSUS vocabulum *nuper* conjungit cum nomine proprio, nobis indicat, hominem illum non amplius esse inter vivos, ut demonstrant permulti apud eum loci: "Ac Romae quoque non mediocres professores, maximeque nuper Tryphon pater, et Euelpistus, Phlegetis filius, et, ut ex scriptis ejus intelligi potest, horum eruditissimus Meges, quibusdam in melius mutatis, aliquantum ei disciplinae adjecerunt." Cels. Lib. VII. Praefat. p. 406. edition. CAR. CHRIST. KRAUSE. Lips. 1766. 8. — "Ergo etiam ingeniosissimus seculi nostri medicus, quem nuper vidimus, Cassius, febricitanti cuidam et magna siti affecto, cum post ebrietatem eum premi coepisse cognosceret, aquam frigidam ingessit." Cels. Lib. I. Praefat. p. 18.

Eandem notionem vocabulum *nuper* apud Quinctilianum habet, dicentem:

"Si quem adjicere velis, is erit Caesius Bassus, quem nuper vidimus: sed eum longe praecedunt ingenia viventium." Quinctil. de Instit. orat. Lib. X. Cap. I. p. 911.

3) Cels. Lib. I. Praefat. p. 4. — Cels. Lib. III. Cap. IV. p. 119.

4) "Permulta medicamenta pluribus libris studiose scripserunt Musa et Asclepiades et Crito." GALEN. de composit. medicamentor. per genera. Lib. II. Cap. I. Tom. XIII. p. 463. edition. CAR. GOTTL. KÜHN. Lips. 1827. 8. — Alia de Musa vid. apud GALENUM de composit. medicamentor. secundum locos. Lib. VII. Cap. II. Tom. XIII. p. 57. — Cap. V. p. 104. — Cap. VI. p. 108. — Lib. VIII. Cap. VIII. p. 206. — Lib. IX. Cap. III. p. 263. — Lib. X. Cap. I.

honoribus ornatum [1]), silentio praeterire potuisset! Auctores etiam nobis narrant, AUGUSTUM jecoris morbo fuisse implicitum, et ANTONIUM MUSAM lavationibus frigidis hunc morbum non modo curasse sed etiam felici curationis eventu ROMANORUM oculos ad se convertisse [2]); vix autem CELSUM in jecoris morbo ab omnibus frigidis esse abstinendum [3]) docuisse probabile nobis videtur, nisi ante ANTONIUM MUSAM faustamque AUGUSTI morbi curationem frigidorum balneorum ope effectam, CELSUM scripsisse statueris. Et QUINCTILIANUS [4]) tandem tradit, CELSUM VIRGILII versum:

"Incipiunt agitata tumescere"

tanquam dissonum vituperasse, unde denuo elucet quo tempore scripserit CELSUS, si in memoriam revocemus, Georgica a Virgilio prius

---

p. 326. — Lib. III. Cap. I. Tom. XII. p. 636. — Cap. III. p. 685. — Lib. IV. Cap. VIII. p. 737. 740. et 741. — Lib. VI. Cap. VII. p. 956. — Cap. IX. p. 992. — Ad Glauconem de medendi methodo. Lib. II. Cap. III. Tom. XI. p. 87. — Cap. XI. p. 137.

1) "Medico Antonio Musae, cujus opera ex ancipiti morbo convaluerat, statuam, aere collato, juxta signum Aesculapii statuerunt." SUETON. August. Cap. LIX.

2) "Graves et periculosas valetudines per omnem vitam aliquot expertus est: praecipue Cantabria domita, cum etiam distillationibus jocinore vitiato, ad desperationem redactus, contrariam et ancipitem rationem medendi necessario subiit: quia calida fomenta non proderant, frigidis curari coactus: auctore Antonio Musa." SUETON. August. Cap. LXXXI.

"Sed et illa Antonius Musa ejusdem auctoritate Divi Augusti, quem contraria medicina gravi periculo exemerat." PLIN. Natur. histor. Lib. XXIX. Cap. I. V.

3) "Abstinendum utique est ab omnibus frigidis, neque enim res ulla magis jecur laedit." CELS. Lib IV. Cap. VIII. p. 214.

4) "Si quidem Celsus cacophaton apud Virgilium putat,

"Incipiunt agitata tumescere"

quod si recipias, nihil loqui tutum est." Quinctil. de Instit. orat. Lib. VIII. Cap. III. p. 697.

fuisse scripta, quam Aeneidem, quippe quae post mortem poëtae edita fuerit 1). — Itaque CORNELIUS CELSUS noster, qui inde ab anno tricesimo ant. Chr. fere usque ad annum decimum quartum p. Chr. vixit 2), haud injuste, ut e stilo eleganti et orationis latinae vigore ubique splendenti facile perspicias, summis Romanorum luminibus adscribendus, quum paucis Romanorum annumerandus sit CELSUS, qui magnis opibus instructi insignem doctrinam cum ipsa rerum contemplatione conjungere potuerunt. Literas excelsius tractare studens, omnes scientiae partes, quae tum temporis accuratius poterant investigari, in unum contraxit, neque unquam vim illam Romanis antiquis propriam et diligentiam scholis bene commendatam neglexit. Tractabat enim rem rusticam, medicinam, rhethoricen, juris prudentiam, historiam, rem militarem, ac denique philosophiam, Scepticos quidem secutus 3). Opus illud, has literas summatim continens, vocabat: "Artes

1) Vid. Jo. LUDW. BIANCONI's *Sendschreiben über den A. Cornelius Celsus an den Abt Hieronymus Tiraboschi. Aus dem Italien. übers. von L***, nebst einer Zuschrift von* C. CHR. KRAUSE. *Leipz.* 1781. 8. *Siebent. Sendschreib. S.* 95. 96. qui dicit: "*Daſs man den Cornelius Celsus vom Quinctilian, vom Servius und von dem Philargyrius nur bey Gelegenheit der Georgicorum, von keinem aber bey der Aeneide angeführet findet, ist ein neuer Beweis von der Zeit, zu welcher der Celsus seine Artes geschrieben hat. Die Georgica wurden im Jahre 724 geendiget, als Augustus, nach der Eroberung von Egypten, den Winter an den Euphrat zubrachte, wo er mit den Waffen in der Hand den wegen des Reichs der Parther zwischen Thiridates und Phraates entstandenen Streit beylegte, und erlaubte, daſs man ihm in Nicomedien einen Tempel erbauete. Es ist also offenbar, daſs Celsus nach dieser Epoche geschrieben hat. Die Aeneis hingegen kam erst nach dem Tode des guten Dichters heraus, welches 735 geschahe, obgleich Virgil, indem er sie schrieb, das sechste Buch davon dem Augustus, und der Octavia, der Mutter des damals verstorbenen Marcellus, ganz vertraut vorlaſs. Celsus also, der seine Künste vor dem Antonius Musa bekannt machte, nemlich, vor der Krankheit des Augustus im Jahre 731, konnte sie nicht gesehen haben.*"

2) SEBAST. CHR. KORTHOLT. praes. GEORG. MATTHIAE Diss. de A. Cornelii Celsi medicina. Gotting. 1766. 4. p. 2 - 5.

3) "Scripsit non parum multa Cornelius Celsus, Scepticos secutus, non

sive de Artibus". Rem rusticam, a qua initium cepit, quinque libris amplexus est, medicinam vero, solos nobis ex multis iisque eruditissimis ingenii ac vigiliarum egregie elaboratarum monumentis reliquos, octo, ita ut singula tantum de iis ab aliis scriptoribus nobis relicta sint. Et si videmus, quanto nitore atque cultu, quanta industria atque solertia scripti sunt isti de re medica libri, si perlegimus CONSTANTINI [1]), LOMMII [2]) HEURNII [3]) WEBERI [4]) aliorumque virorum de CELSI latinitate judicia laudesque, quem vestrum CELSUM non solum

---

sine cultu ac nitore." QUINCTIL. de Instit. orat. Lib. X. Cap. I. p. 920. edit. PETR. BURMANN.

1) "Qui Medicina in compendium contulit: Qui ita castigate, proprie et eleganter loquitur (versum enim dicendi genus et astrictum secutus est, in quo rerum sententiosa gravitas verborumque apta et numerosa, et quasi rotunda constructio) ut non modo a Medicis propter artis scientiam, verum etiam ab omnibus eloquentiae candidatis propter scribendi venustatem lectitari mereatur." R. CONSTANTINI Epistol. ad Jo. Capellam, in ejusd. edition. Aurelii Corn. Celsi de re medica libr. octo. Lugdun. 1566. 8.

2) "Opus, me hercle dignum, quod ab omnibus non legi modo, sed etiam edisci oporteat, seu opulentissimum rerum medicarum promptuarium, ex ipsissimo natum pectore Celsiano, membrisque absolutum omnibus, et optima cohaerens doctrinae via." JODOC. LOMMIUS, Commentar. de Sanitate tuenda, in primum lib. de re medica Aurel. Cornelii Celsi. Amstelod. 1761. 8. Praefat.

3) "Si de medicis quis quaerat? unicus Celsus medicis Latinis praeferatur: qui pomoeria Romanae eloquentiae jam sese cunctis cultioribus ingeniis merito commendet. Quam presse ubi lubet ille progreditur! quam luculenter causas morborum enarrat! certe rem plane admirandum praestitit, ut quum muta haec nata ars sit, minimeque eloquentiae capax, is tamen tanto splendore eam exornavit, ut non aliunde libentius eloquentiae medicae rationem mutueris." HEURNIUS, Epistol. ad D. Balduin. Ronsseum, in BALDUIN. RONSSEI edition. Aurelii Cornelii Celsi de re medica libr. octo. Lugd. Batavor. 1592. 4.

4) "Dignus igitur CELSUS est, quem legas, propter doctrinae cultum; sed etiam dignior, quem nunquam e manibus deponas, propter elegantiae nitorem." AUG. ARNOTH. WEBER, Specimen novae editionis Auli Cornelii Celsi. Halae 1788. 4. p. 6.

aestimare, sed etiam diurna versare manu, versare nocturna, studere et in succum et sanguinem convertere, puderet? Eos tamen libros, qui medicinam tractant, quinque antecessisse, luculenter nobis ostendunt complures codices antiqui, quibus inscriptum est: *Artium A.* CORNELII CELSI *Liber VI. Medicinae vero Liber primus.* Dictio quidem si ubique, quod bene conjicere licet, ita erat praeclara, qualis in libris de re medica, opus integrum nobis non restare, eo magis dolendum est. Nonnullos autem deperditorum libros rem rusticam tractasse, cum CELSUS ipse dicit et in prooemio medicinae [1]), et alio loco, ubi jam antea pecora tractasse narrat [2]), tum vero COLUMELLA testis est, qui CELSUM quinque ipsos libros de re rustica scripsisse [3]), ibique SASERNAS patrem et filium, utrumque clarum de re rustica auctorem, secutum fuisse dicit [4]). Idem COLUMELLA [5]) et praeclare de apibus scripsisse CELSUM narrat, et ipse fragmentum CELSI de anseribus nobis conservavit [6]). Nec non PLINIUS permultis locis, ubi de pecoribus, avibus, apibus et re rustica agit, CELSUM nostrum laudat [7]). Institutiones oratorias, quas septem libris scripsit CELSUS, memorant JUVENALIS [8]) et CURIO FORTUNATIANUS, eloquentiae praeceptor [9]);

---

1) "Ut alimenta sanis corporibus Agricultura, sic sanitatem aegris Medicina promittit." CELS. Lib. I. Praefat.

2) "Sicut de pecoribus proposui." CELS. Lib. V. Cap. XXVIII. p. 338.

3) "Quippe Cornelius totum corpus disciplinae (i. e. rusticae) quinque libris complexus est." COLUMEL. Lib. I. Cap. I.

4) "Mox Julius Atticus, et Cornelius Celsus aetatis nostrae celeberrimi auctores, patrem atque filium Sasernam secuti" etc. COLUMEL. Lib. III. Cap. XVII.

5) COLUMEL. Lib. IX. Cap. II.

6) COLUMEL. Lib. VIII. Cap. XIII.

7) PLIN. Natur. histor. Lib. X. Cap. LIII. LXXIV. — Lib. XIV. Cap. II. IV. 5. — Lib. XX. Cap. IV. XIV. — Lib. XXI. Cap. XXX. CIV.

8) "Orator (Celsus) illius temporis, qui septem libros Institutionum scriptos reliquit." Vid. Scholiast. ad Juvenal. Sat. VI. v. 244. Lutet. 1603. 4. p. 245.

9) "Qui rerum gestarum ordo est? Celsus tradit primo firmum aliquid

quin etiam QUINCTILIANUS tradit, CELSUM non modo de re militari, medica et rustica nonnulla reliquisse [1]), sed etiam philosophiae partes, quibus adhuc minus excelluerint Romani, copiosius tractasse narrat [2]): nec non AUGUSTINUS hujus operis philosophici mentionem fecit [3]). Quod pertinet ad CELSI opus "de re militari" inscriptum [4]) nil nobis liquet; attamen ex JOANNE SARESBERIENSI comperimus, duodecimo adhuc saeculo, illud opus cum aliis CATONIS CENSORII et HYGINI scriptis superfuisse [5]). Scripsit id quidem reversus ab expeditione in Asiam, ubi TIBERIUM CAESAREM secutus, sine dubio artem militarem cognoverat [6]). Neque CELSUS ut e loco modo laudato scimus, poëtis aureae aetatis erat ignotus; ut enim HORATIUS quaedam de CELSI vita nobis servavit, ita OVIDIUS quoque cum CELSO amicitiam habuisse fertur, quam FABII MAXIMI domo, literarum tum asylo,

---

esse ponendum: novissimum esse locum fortissimum: imbecilliora in medio collocanda." CURII FORTUNATIANI Consulti artis rhetoricae scholicae Lib. III. in initio. In Autori del Ben Parlare. Venet. 1643. 4. Vol. XI. p. 168.

1) "Cum etiam Cornelius Celsus mediocri vir ingenio, non solum de his omnibus conscripserit artibus, sed amplius rei militaris, et rusticae etiam, et medicinae praecepta reliquerit?" QUINCTIL. de Instit. orat. Lib. XII. Cap. XI. p. 1112.

2) QUINCTIL. de Instit. orat. Lib. X. Cap. I. p. 920.

3) "Opiniones omnium philosophorum, qui sectas varias condiderunt, usque ad tempora sua, neque enim plus poterat, sex non parvis voluminibus quidam Celsus absolvit" etc. AUREL. AUGUSTIN. Lib. de Haeresib. Praefat. in *ejusdem* opusculis Tom. I. Venet. 1545. 8. p. 190.

4) QUINCTIL. de Instit. orat. Lib. XII. Cap. XI.

5) "Quam (artem militarem) si quis ediscere voluerit, adeat Catonem Censorium, legat et illa quae Cornel. Celsus, quae Julius Hyginus, quae Vegetius Renatus, cujus eo quod elegantissime rei militaris artem tradidit, licet exempla praestrinxerit, plura inserui, legat inquam, quae isti posteris praescribenda duxerunt." JOANNIS SARESBERIENSIS Policraticus, sive de nugis curialium et vestigiis Philosophorum. Lib. VI. Cap. XIX. in Biblioth. veter. patrum et antiquor. scriptor. ecclesiasticor. Lugdun. 1677. fol. Tom. XXIII. p. 333.

6) HORAT. Epist. Lib. I. III. v. 6. et seq.

contraxerant. Qua de familiaritate etsi nil certi nobis innotuerit, BIANCONIUS tamen aperte demonstrasse videtur [1]), CELSUM illum, ad cujus amici fidelissimi laudem totam epistolam ab OVIDIO scriptam videmus [2]), et qui annum fere ante AUGUSTUM mortuus est, eundem nostrum CELSUM fuisse. Idem fuisse fertur, qui OVIDIUM Roma expulsum, a magna amicorum parte relictum [3]), solabatur [4]), et cui mortuo MAXIMUM ipsum praeclarum funus fecisse, corporis combustioni adfuisse et ossa de rogo collecta honorifice vicina humo texisse, idem tradit OVIDIUS [5]).

Jam octo illi de medicina libri nobis relicti, ut jam supra diximus, CELSO nostro inter praeclarissimos antiquitatis medicos locum designarunt, libri vero ipsi praestantissimis Romanarum literarum monumentis adnumerandi, et quum ob castigatissimum dicendi genus, tum ob rerum gravissimarum accuratam expositionem quam maxime commendandi sunt. Quod ii autem soli nobis relicti sunt libri, reliquis omnibus deperditis, inde imprimis est assumendum, quod hi soli totum medicinae campum complecterentur. Hos igitur, quum Romani diutius iis uterentur, saepius describebant; de re rustica autem, de rhetorice et re militari multa scripserant Romani, et inde rarius utebantur libris CELSIANIS. Praeterea, monente SCHILLINGIO [6]) sub imperii AUGUSTI finem, CELSUS demum aetate provectus libros de medicina scripsisse dicitur. Quod antiqui scriptores, ut ESCHENBACHIUS [7]), tradunt, CELSUM non ipsum fuisse medicum, sed tantum

---

1) BIANCONI, Lettere sopra A. Cornelio Celso al celebre Abate Girolamo Tiraboschi. Roma. 1779. 8. Lettera X. p. 163.

2) OVID. Epist. ex Ponto Lib. I. IX.

3) OVID. Epist. ex Ponto Lib. II. III. v. 25 et seq.

4) OVID. Epist. ex Ponto Lib. I. IX. v. 15 et seq.

5) OVID. Epist. ex Ponto Lib. I. IX. v. 47 et seq.

6) MAURIT. GUILIELM. SCHILLING, Quaestio de Cornelii Celsi vita. Lips. 1824. 8. Pars I. pag. 79 et 80.

7) MICH. CHRIST. JUST. ESCHENBACH, Epistola ad G. L. Wockaz, qua sum-

medicinae peritum, et quod ait BIANCONIUS: "Se per Medico intendiamo, come CELSO medesimo dice, *Medico Artefice*, cioè esercitante l'arte sua publicamente, io tengo per fermo, che egli non fu mai tale" etc. [1]) minus nobis arridet, ac magis probanda esse videtur sententia contraria, ut MORGAGNII [2]) CLERICI [3]), MATTHIAE [4]) et imprimis CHIAPPAE, cujus verba leguntur haec: "Ho giudicato pertanto non perduta opera l'accignermi, siccome fo nel presente, e ne' successivi ragionamenti a dimostrare in CORNELIO CELSO il medico pubblicamente esercitante contra l'opinione già quasi universalmente invalsa; e al tempo istesso far sentire quanto questo medico fosse sopra ogni estimazione grande e peritissimo in tutte le parti di quest' arte sublime" etc. [5]). Ejusdem opinionis etiam est HUXHAMIUS, dicens: "Tandem non possum quin existimem, attentum lectorem in CELSO magnum locorum numerum reperturum esse, qui ipsi persuadebunt, ut credat, hunc auctorem in medicinae et chirurgiae exercitatione fuisse versatissimum" [6]). Nec minus BOERHAAVIUS, de HIPPOCRATE, GALENO, CELSO aliisque ita loquitur: "*Systematici* vocantur, qui generalia omnium morborum chirurgicorum, horum naturam, differentiam, causas, effectus, signa et remedia, quae eo spectant, absolute pertractant. Horum autem non eos commendabo qui compilatores fue-

---

mos in arte salutari honores collegium disputatorium gratulatur. De Celso non medico practico disseritur. Lips. 1772. 4.

1) BIANCONI, Lettera VIII. p. 127.

2) Jo. BAPT. MORGAGNI, in A. Corn. Celsum Epist. ad Jo. Bapt. Vulpium. Tom. II. Epist. IV. p. 77. Vid. edition. Celsi ab ALMELOVEEN. Patav. 1750. 8.

3) DANIEL LE CLERC, histoire de la Médecine. Seconde Partie. Liv. IV. Sect. II. Chap. IV. p. 518 et 519. Amsterd. 1723. 4.

4) SEBAST. CHR. KORTHOLT, praes. GEORG. MATTHIAE, Diss. de A. Cornelii Celsi Medicina. Gotting. 1766. 4. p. 8 et 9.

5) GIUSEPP. ANT. DEL CHIAPPA, Intorno alle opere e alla condizione personale di Aulo Cornelio Celso. Milano 1819. 8. Discorso I. p. 18.

6) JOAN. HUXHAM, de febribus. Praefat., in ejusd. Oper. physico-medic. curant. G. CH. REICHEL. Lips. 1773. 8. Tom. II. p. 9.

runt, et morbis forte non visis nihilo minus in museo eos descripserunt. Verum eos recensebo, qui per multos annos in praxi excelluerunt, dum vixerunt, et simul anatomes periti fuerunt [1])." Etiam GALENUS [2]) formulam trochiscorum pro dysentericis, coeliacis, haemoptoicis, ex CORNELIO MEDICO sumptam proponit. Quae compositio vel in deperditis illis CELSI libris scripta, vel extra libros, per manus quasi tradita fuit, istum vero CORNELIUM non solum nostrum fuisse, sed etiam praxin medicam exercuisse, ex illo apud GALENUM loco liquet, de qua re fusius agit MATTHIAE [3]). — CELSUM vero secundum auctores, qui nobis de ejus studiis variis multisque in omni doctrinarum genere relictis scriptis narrant, medicam artem per longius vitae tempus exercuisse vix credo: sed ingenii sagacitate mentisque claritate instructus permulta observavit, ita, ut libros suos de medicina longe praeclarissimos non solum ex studiis aliorum scriptorum, sed etiam ex propria morborum contemplatione perficere posset, quippe qui aegrorum curandorum occasionem sibi a contemporaneis oblatum, haud respueret. Quod idem facile conjiciendum est ex ingenii illius acumine, — nam erroribus fere omnibus erat exutus, et res optime disponere poterat, — et ex orationis nitore tam illustre in ejus libris splendente, quem in iis, qui, ut PLINIUS, aliorum tantum libros compilaverunt, omnino desideramus. Praeclare igitur DUJARDINUS de CELSO agens, dicit: "Son style élégant, serré, concis, lui a mérité le titre de Cicéron des Médecins [4])". Quanti aestimabatur latina CELSI oratio, quod attinet ejus elegantissimam

1) BOERHAAVE, method. stud. medic. Pars XIII. Consilia ad chirurgiam. Cap. II. edition. ALBERT AB HALLER. Amstelod. 1751. 4. Tom. I. p. 714 et 715.

2) GALEN. de composit. medicamentor. secundum locos. Lib. IX. Cap. V. edit. KÜHN. Tom. XIII. p. 292.

3) SEBAST. CHR. KORTHOLT, praes. G. MATTHIAE, Diss. l. laud. p. 13 et 14.

4) DUJARDIN, histoire de la chirurgie. Paris. 1774. 4. Tom. I. Liv. IV. p. 354.

ac generosissimam scribendi rationem, ex hoc cognosci potest, quod scriptores serioris temporis vestigia ejus in scriptis semper persequi et animum mentemque ad ejus exemplum conformare studebant, ita, ut in arte obstetricia studiosissimum observatorem excellentissimumque scriptorem recentioris temporis CELSUM *inter embryulcos* nominatum videamus 1). Etiam laudanda essent verba apud HUXHAMIUM, quae ita leguntur: "CELSUS jure appellatus est HIPPOCRATES *latinus*, quoniam non minus innumera loca ex divino sene in sua transtulit opera, quam quod generatim ejus methodum et medicinam est secutus. Ejus latina oratio est elegantissima, ejus medicina et chirurgia mirum in modum justa 2)". Conferas etiam verba apud VAN DER LINDEN: "Sermo toto in opere plenus, purus, venustus, castus, et, quod praecipuum est, accommodus rei tradendae; adeo ut in medicina quidem nemo uti meliore scribendi magistro queat 3)". Nec minus id, quod pronunciat CLAUD. VERDERIUS de CELSI latinitate, hisce verbis usus: "CORNELIUS de latinitate est tam bene meritus, ut inter Latinos videatur is, qui inter Graecos THEOPHRASTUS fuit" etc. 4): Ne multa: CELSUM ipsum morbos oculis perspexisse, indeque permagnum experientiae thesaurum sibi comparasse, quis neget? Ex omnibus, quas adhuc invenire poterat, medicorum disciplinis firmissima et utilissima collegit acutissime, brevissime et nervosissime, egregioque stilo tradidit, et primus in libris illis immortalibus singulas medicinae partes in unum conjunctas docebat 5). Prooemio brevi quidem sed uberrimo et in-

---

1) FR. C. NAEGELÉ, *Ueber den Mechanismus der Geburt in Meckel's Archiv für Physiol. Bd. V. Heft* 4. *S.* 525.

2) HUXHAM, de febribus. Praefat. p. 7 et 8.

3) A. Corn. Celsi de Medicina libr. octo, ex recognitione JOH. ANTON. VAN DER LINDEN. Lugdun. Batavor. 1665. 12. Praefat. ad Lector.

4) CLAUD. VERDERIUS, in auctores pene omnes, antiquos potissimum, censio. Lugdun. 1586. fol. p. 144.

5) "Graecorum antea nemini, quod sciam, id laudis datum, quod artem

signi cum simplicitate, dignitatem atque locum medici literarum studiosi ita demonstrat, ut medicinae summa inde eluceat. Sequuntur primi quatuor libri, ubi interni tractantur morbi, quibus imprimis, corporis victum diligenter curantes, mederi possumus. Liber quintus et sextus de morbis externis eorumque curatione agit, et diversas medendi formulas continet. Septimus denique et octavus liber chirurgiam complectuntur. HIPPOCRATEM maxime et ASCLEPIADEM sequitur CELSUS; attamen THEMISONIS quoque aliorumque medicorum scripta diligenter perlegerat. In diaetetica [1]) partim ALEXANDRINOS partim ASCLEPIADIS libros inspexit; semioticam [2]) autem rite desumendam esse censuit ex HIPPOCRATE, cujus dicta saepius eleganter tradita apud CELSUM invenimus. In therapia universali [3]) plerumque ASCLEPIADEM sequitur; attamen hic quoque, ubi erat opus, moderatissime egit, atque etsi saepius THEMISONIS systema ex methodo descriptum vehementer vituperaverit, ejus utilia tamen acutum CELSI ingenium non fugiunt. Pathologiam et therapiam optime disposuit [4]). Primum quidem morbos et acutos [5]) et

---

redegerit in systema, et corpus methodo constitutum." VAN DER LINDEN in Epistol. ad Guidon. Patinum, in ejusd. edit. A. Corn. Celsi de Medicina.

1) CELS. Lib. I. Cap. I et seq. — Lib. II. Cap. XVIII et seq.

HIEREM. THRIVERUS BRACHELIUS, Aurelii Cornelii Celsi de sanitate tuenda liber plurimis in locis antea nemini suspectis, castigatus et commentariis illustratus. Antwerp. 1539. 8. Excusum in RONSSEI editione CELSI, excepta Thriveri ad Comitem Carolum Lalengum epistola dedicatoria. Lugdun. Batavor. 1592. 4. p. 1 et seq.

Jo. FR. CLOSSIUS, A. Cornelii Celsi de tuenda sanitate volumen, elegis latinis expressum. Tubing. 1785. 8.

2) CELS. Lib. II. Cap. I - IX.

JOH. MEYER, Semiologia mortis Celsiana. Francof. 1804. 8.

3) CELS. Lib. II. Cap. IX - XVIII.

4) De Celsi medicina conferas: JOH. CONR. BARCHUSEN, de medicinae origine et progressu Dissertationes. Traject. ad Rhenum 1723. 4. Dissertat. XV. p. 231.

DANIEL LE CLERC, histoire de la Médecine. Seconde Partie. Liv. IV. Sect. II. Chap. IV. p. 517 - 533.

5) CELS. Lib. III. Cap. I - XVIII.

chronicos [1]) tractat; hos sequuntur topici ex ordine organorum [2]); diaeteticam vero in utrisque observandam libris duobus tractat. Atque hic quidem complures veteres scriptores CELSUM excerpsisse, haud dubium, attamen quam eximie ipse rem tractaverit, nemo non videt. Eodem modo in materia medica [3]) permulta probatissima docet praecepta, atque quantam ipse hic habuerit experientiam, luculenter ostendit. Aptissime morbis topicis conspectum anatomicum organorum singulorum praemisit [4]); anatomiam ipsam adversus Empiricos eam contemnentes defendit [5]), nec non alio loco prooemii animi sui indolis insignis prodit argumentum, istos medicos detestans, qui vivos dissecare non dubitarunt [6]). Neque, ut MORGAGNIUS [7]) et SPRENGELIUS [8]) fece-

---

1) CELS. Lib. III. Cap. XVIII et seq.

De capite XXI. hujus libri conferas: G. AUG. LANGGUTH, Commentat. de paracentesi ascitis remedio admodum probabili ad loc. Celsi Lib. III. Cap. XXI. Wittenberg. 1765. 4.

2) CELS. Lib. IV. Cap. II et seq.

JO. LAURENT. WEIDNER, praes. ABRAH. VATER, Diss. qua chordapsus Celsi occasione ventris enormiter contracti in homine subita morte extincto observati. Vitemberg. 1738. 4.

CHR. IMMAN. LOESCHER, praes. DAN. WILH. TRILLER, Diss. de morbo coeliaco singulari a Cornelio Celso descripto. Wittenberg. 1765. 4.

3) CELS. Lib. V. Cap. I - XXVI.

De capit. XXVI. XXVII et XXVIII. hujus libri conferas: CHR. LUD. CHARISIUS, de meliceria Celsi. Regiomont. 1717. 4.

JO. FR. CLOSSIUS, Specimen observationum criticarum in A. Cornelium Celsum. Accedit diatribe de salsamenti, a Celso ad vulnus morsu factum commendati, signficatione contra Laurentium Heisterum. Traject. ad Rhenum. 1768. 4.

4) CELS. Lib. IV. Cap. I.

5) CELS. Lib. I. Praefat. p. 20.

6) CELS. Lib. I. Praefat. p. 12.

7) MORGAGNI, Epist. IV. p. 101 et seq.

8) KURT SPRENGEL, *Versuch einer pragmatischen Geschichte der Arzneikunde. Halle.* 1800. 8. *Th. II. S.* 36.

runt, dubitandum est, an CELSUS cognoverit discrimen inter venas atque arterias [1]), nec ne, sed de nervorum notione tantum error interdum nasci potest, quum non modo tendines, sed etiam ligamenta et musculos appellaverit nervos. Praecipue autem ea pars, quae chirurgiam continet, perfecta est atque absoluta [2]), quam ipsam CELSUM quoque imprimis adamasse probabile est. In praeceptis chirurgicis ubique eximiam ALEXANDRINORUM disciplinam agnosces; attamen quoque TRYPHONIS patris, EUELPISTI PHLEGAE filii, EUELPIDIS [3]) ophthalmici et praecipue praeclari illius MEGAE SIDONII [4]) libris usus est. Inter operationes incredibili cum diligentia descriptas eximie elucet lithotomia parvo apparatu facta [5]), et cataractae depres-

1) "In dextra sinistraque circa guttur venae grandes, quae σφαγίτιδες nominantur; itemque arteriae (quas καρωτίδας vocant) sursum procedentes ultra aures feruntur." CELS. Lib. IV. Cap. I. p. 182.

2) "AURELIUS CORNELIUS CELSUS omnium veterum et etiam hodiernorum, in chirurgia princeps fuit: quae enim jam pro novis traduntur, apud eum inveniuntur. Sint enim exempli loco ejus opera de calculo, de fistula lacrumali: tantae certe manus et instrumentorum ibi subtilitates invenientur, ut hodie meliora non tradantur, et sic per totum ejus opus praelucet omnibus." BOERHAAVE, method. stud. medic. Pars XIII. Consilia ad chirurgiam. Cap. II. p. 715, 716 et 717.

GOTTL. STOLLEN, *Anleitung zur Historie der medicinischen Gelahrheit. Jen.* 1731. 4. *Th. II. Cap. III. S.* 814.

DAN. LE CLERC, histor. de la Médecine. Sec. Part. Liv. IV. Sect. II. Chap. V. p. 533 - 548.

3) CELS. Lib. VI. Cap. VI. p. 352.

4) CELS. Lib. VII. Praefat. p. 406.

5) CELS. Lib. VII. Cap. XXVI.

J. G. ILSEMANN, praes. L. HEISTER, Diss. de lithotomiae Celsianae praestantia et usu. Helmst. 1745. 4.

*Acta* physico - medic. naturae curiosor. Norimb. 1754. 4. Vol. X. Observ. XVII. p. 54.

Jo. LEBR. SCHMUCKER, *chir. Wahrnehm. Berl. u. Stettin.* 1774. 8. *Th. II. S.* 375.

C. FR. CLOSSIUS, Diss. sistens analecta quaedam ad lithotomiae Celsianae methodum. Tübing. 1792. 4.

sio [1]), quam etiam, si omnino deprimi non poterat, in plures partes dissipare studebat [2]). Neque minus insignia sunt reliqua de ophthalmologia fragmenta, ubi docet, quomodo tractetur pterygium (unguis oculorum), distichiasis et trichiasis (pilae palpebrarum oculum irritantes), ectropium, staphyloma [3]), nec minus quomodo membra deperdita vel curta narium, labiorum vel aurium, reficerentur [4]). Hic quoque de chirurgia morborum ossium agens, conspectum ossium praemisit [5]). — Quae

---

Seb. Ant. Turck, Diss. de l'incision pratiquée par Celse dans l'opération de la taille chez les hommes. Strasb. 1818. 4.

C. Gottl. Kühn, Commentatio in Celsi libr. VII. Cap. 26. de calculi sectione. Lips. 1822. 4.

Valer. Mayh commentarius in Celsi lib. VII. Cap. 26. calculi vesicae manu demendi rationem tractans. Viteberg. 1600. 4.

Gio. Battist. Palletta, della litotomia Celsiana in Memorie dell' istituto nazionale Ital. Tom. I. P. 1. p. 68 et seq.

1) "Ubi eo ventum est, inclinanda acus ad ipsam suffusionem est, leviterque ibi verti et paulatim eam deducere infra regionem pupillae debet; ubi deinde eam transiit, vehementius imprimi, ut inferiori parti insidat. Cels. Lib. VII. Cap. VII. p. 434.

Schreger, *Grundrifs der chirurgischen Operationen. Nürnb.* 1825. 8. *Th. I. S.* 360.

2) "Si subinde redit, eadem acu magis concidenda, et in plures partes dissipanda est: quae singulae et facilius conduntur, et minus late officiunt." Cels. Lib. VII. Cap. VII. p. 434.

Herm. Friedlaender, de medicina oculorum apud Celsum commentarius. Halae. 1817. 8.

G. E. Dohlhoff, *über die Augenheilkunde des Celsus, in* Graefe *u.* Walther *Journ. der Chirurgie und Augenheilkunde. Bd. V. Heft* 3. *S.* 408 - 426.

Schreger, l. laud. p. 372.

3) Cels. Lib. VII. Cap. VII. p. 423 - 433.

4) Cels. Lib. VII. Cap. IX.

5) Cels. Lib. VIII. Cap. I.

Petr. Paaw, succenturiatus anatomicus continens Commentaria in Hippocratem, de Capitis vulneribus, additae in aliquot capita libri VIII. C. Celsi Explicationes. Lugdun. Batavor. 1616. 4.

Georg. Leonh. Huth, praes. Jo. Henr. Schulze, Exercitatio philologico-

quum ita sint, num arbitremur CELSUM perpauca de suis adjecisse, sed plerumque ex aliis hausisse, quanquam uberrima experientia et maxima ingenii acies bene conspici potest [1])? Attamen hoc quoque dignum meritum existimo, res medicinae faciendae utiles ac necessarias ita ingeniose ac diligenter ex antiquis selegisse, ita per partes digessisse easque ipsas ita sibi invicem innexuisse, ut paucos, qui ante CELSUM scripserint, ipsi pares ponere, anteferre possis neminem [2]); neque dubito cum QUINCTILIANO exclamare: "Verum etiam si quis summa desperet .... tamen est, (ut CICERO ait) pulchrum in secundis tertiisque consistere [3])".

Quae septimi libri capite undetricesimo de arte obstetricia dicta sunt a CELSO, ea non quidem, ut HECKERO [4]) et SCHILLINGIO [5])

---

medica de ossibus conferventibus ad illustrationem Celsi Lib. VIII. Cap. VII et X. Altorfii Noric. 1727. 4.

1) "Incipiam ab iis qui Celso ascitis (ut ajunt) aliunde coloribus specioso furti notam inurunt, nihil ipsum posteris reliquisse arbitrati tanta doctrinae fama dignum, concinnatorem fuisse alienorum bonorum, nihil attulisse suorum, functum scilicet vice cotis, quae etsi ferrum acuit, exors tamen ipsa secandi est" etc. JODOC. LOMMIUS, Commentar. de sanitate tuenda. Amstelod. 1761. 8. Praefat.

JO. JAC. BAIER, Schediasma, quo institutum suum de Aurel. Cornel. Celso ad majorem philiatrorum utilitatem accommodando aperit atque commendat. Altorfi Nor. 1720. 4.

2) "Ex toto quippe GALENI oceano, si dicere fas sit, non tot interiora medendi consilia quis hauserit, quam ex hoc ubere CELSI rivo. Fateor plus est in GALENO florum, ut et foliorum: sed fructuum plus in Celso est." DAN. VINK, Amoenitates philologico-medicae. Traj. ad Rhen. 1730. 8. p. 377.

"Scripsit Celsus, et quidem purissimo Romanorum sermone, quo nullus veterum medicorum eum consequutus est, encyclopaediam" etc. J. CHR. GOTTL. ACKERMANN, Institutiones historiae medicinae. Norimberg. 1792. 8. p. 183.

3) QUINCTIL. Lib. XII. Cap. XI. p. 1113.

4) J. F. C. HECKER, *Geschichte der Heilkunde. Berl.* 1822. 8. *Bd. I. S.* 433.

V. *ejusd. Art.* CELSUS, *im encyclopädischen Wörterbuch der medicin. Wissenschaften. Berl.* 1831. 8. *Bd. VII. S.* 316.

5) SCHILLING's *Aufsatz im Ersch und Gruber. Bd. XVI.* l. laud.

placet, nullius pretii sunt facienda, nisi ad indicandam hujus scientiae inopiam, quia nihil inveniatur apud eum, ut illi dicunt, nisi versiones quaedam in pedes vel caput, et partus emortui extractio per uncum: sed Celsi praecepta, quomodo parturiens ad operationem obstetriciam perficiendam collocanda, orificium uteri caute sit aperiundum, infans in pedes sit dirigendus, et quomodo tandem secundinae sint extrahendae, nobis ostendunt, artem obstetriciam haud mediocre, tempore Celsi, incrementum cepisse, et spem summam haud defuisse, si medici viam, quam Celsus ipse iis demonstrarat, secuti essent, fore, ut mox ad meliorem ars ipsa conditionem pervenisset. Quae autem spes multas ob causas, quas eruere historiam artis obstetriciae decet, fefellit: addere solummodo sufficiat, ut progressus Celsiani eo, quo digni sunt, honore afficiantur, antiquissimis temporibus, ubi ars obstetricia nasci coepit, pauca quaedam remedia parturientibus esse data, insuper a mulieribus hanc artem fuisse exercitam, et viris adesse parturientibus non licuisse, — qua de re jam in libris sacris nobis relicti sunt loci 1), ubi in Exodo imprimis Siphra et Pua nominantur obstetrices 2) —, ita quoque Graeci et Romani Deas 3) tantum partui praeesse volebant, unde colligas, hic quoque mulieres tantum auxilium, quo erat opus, praebuisse. Parturientium Deae Graecis erant Ἥρη et Ἄρτεμις; deinde doloribus ad partum praesidebant Εἰλείθυιαι 4), Heres

1) Genesis, Cap. 35. v. 17. et 18. — Cap. 38. v. 28. et 29. — Samuel 1. Cap. 4. v. 20.

2) Exodus, Cap. 1. v. 15 et seq.

G. F. Gudius, respond. Wendt, Diss. de Ebraica obstetricum origine, quae Exod. C. I. v. 15. commemoratur. Lips. 1724. 4.

Gust. Maurit. Redslob, Comment. de Hebraeis obstetricantibus. Lips. 1825. 4.

F. G. Danz, Progr. de arte obstetricia Aegyptiorum. Giess. 1791. 4.

3) F. G. Welcker, *Zu den Alterthümern der Heilkunde bei den Griechen. In Hecker's Annalen der gesammten Heilkunde. Oct.* 1833. *S.* 129.

4) "*Δριμὺ, τὸ, τε προϊεῖσι μογοστόκοι Εἰλείθυιαι,*
*Ἥρης θυγατέρες, πικρὰς ὠδῖνας ἔχουσαι.*"
Homer. Ilias XIX. 119. Homer. Ilias XI. 270.

filiae, vel etiam unam tantum inclamabant Ἐἰλειθυιαν [1]). At Romani partuum Deam LUCINAM [2]), JUNONEM vel JUNONEM LU-

---

1) "Αὐτὰρ ἐπειδὴ τόν γε μογοστόκος Εἰλείθυια
Ἐξάγαγε πρόφωσδε, καὶ ἠελίου ἴδεν αὐγάς." HOMER. Ilias XVI. 187.
HOMER. Ilias XIX. 103. — HOMER. Odyss. XIX. 188. — PINDAR. Nem. VII. 1 seq. — PINDAR. Pyth. III. 15. — PINDAR. Olymp. VI. 71.
C. A. BOETTIGER, *Ilithyia oder die Hexe. Weim.* 1799. 8.
Etiam Ἥρην et Ἄρτεμιν Graeci ILITHYAM vel ELEUTHONEM vocant.
PINDAR. Olymp. VI. 41 et 42. edit. A. BOECKH. Lips. 1811. 4.
C. A. BOETTIGER. l. laud. *S.* 10.

2) Quod attinet ad originem vocabuli "LUCINA" triplici modo derivatur.

*a*) a vocab. "LUCUS", quia Deae LUCINAE in lucis plerumque templa aedificata et sacrata erant.

"Gratia Lucinae: dedit haec tibi nomina lucus;
Aut quia principium tu, Dea, lucis habes."
OVID. Fastor. Lib. II. v. 449.

"Romae vero lotos in Lucinae area, anno qui fuit sine magistratibus 379 urbis, aede condita, incertum ipsa quanto vetustior. Esse quidem vetustiorem non est dubium, cum ab eo luco Lucina nominetur: haec nunc circiter annum 450 habet."
PLIN. Natur. histor. Lib. XVI. Cap. XLIV. LXXXV.

*b*) a vocab. "LUX", quia infantes e gremio materno in lucem produci curavit.

"Lucina ab eo, quod in lucem producat, et gemina vota sunt, ut partus et parturiens servetur."
DONAT. in Comment. ad Terent. Andr. Act. III. Scen. I.

*c*) a vocab. "LUNA", quia graviditatis tempus vel singulos menses quasi regit, matresque cum prole servat.

"Luna a lucendo nominata sit, eadem est enim Lucina, itaque ut apud Graecos Dianam, eamque Luciferam, sic apud nostros Junonem Lucinam in pariendo invocant."
CIC. de nat. deor. Lib. II. §. 68.

Apud TIBULLUM LUCINAM non parturientium Deam appellatam, sed Deam fatalia somnia avertentem invenimus.

"Efficiat vanos noctis Lucina timores,
Et frustra immeritum praetimuisse velit."
TIBULL. Lib. III. Eleg. IV. v. 13.

oinam 1) colebant, cujus praecipuae curae mulier parturiens commissa

1) Cognomia Junonis a veteribus nobis commemorantur Lucetia [a]), Natalis [b]), Fluonia [c]), Februa [d]), Opigena [e]), Mena [f]) et alia [g]).

*a*) "Sive te Lucinam, quod lucem nascentibus tribuas, ac Lucetiam convenit nuncupari." Mart. Capella, de Nuptiis Philolog. Lugdun. Batavor. 1599. 8. Lib. II. pag. 37.

*b*) "Natalis Juno, sanctos cape turis honores,
Quos tibi dat tenera docta puella manu." Tibull. Lib. IV. Carm. VI.

*c*) "Fluoniam Junonem mulieres colebant, quod eam sanguinis florem in conceptu retinere putabant." Fest.

*d*) "Nam Fluoniam, Februalem ac Februam mihi poscere non necesse est, cum nihil contagionis corporeae sexu intemerata pertulerim." Mart. Capell. de Nuptiis Philolog. Lib. II. pag. 37.

*e*) "Opigenam Junonem matronae colebant, quod ferre eam opem in partu laborantibus credebant." Fest.

*f*) "Sed ibi est et Dea Mena, quae menstruis fluoribus praeest, quamvis Jovis filia, tamen ignobilis. Et hanc provinciam fluorum menstruorum: in libro selectorum deorum ipsi Junoni idem autor (Varro) assignat, quae in diis selectis etiam regina est: et hic tanquam Juno Lucina cum eadem Mena privigna sua eidem cruori praesidet." Augustin. de Civitate Dei. Francof. et Hamburg. 1661. 4. Tom I. Lib. VII. Cap. II. pag. 618.

*g*) Pierre Bayle, Dictionnaire historiq. et critiq. Basl. 1738. fol. Tom. I. pag. 892.

Sed Dea Lucina pro eadem cum Junone plerumque habetur, et quum in scriptis nomen Junonis ei Lucinae adjectum inveniamus, illud cognomen tantum hujus Deae est existimandum.

"Juno Lucina, fer opem! serva me, obsecro."
Terent. Andr. Act. III. Scen. I.

Terent. Adelph. Act. III. Scen. IV. — Plaut. Aulular. Act. IV. Scen. VII. v. 11.

BASSA. VITELLI
PRO. Q. VITELLIO. Q. F. FILIO. SUO
IUNONI. LUCINÆ. V. S. L. M

Jani Gruteri, Inscriptiones antiquae totius orbis Romani p. Graevium. Amstel. 1707. fol. Tom. I. pag. XXIV. 16.

fuit: sed DIANA [1]) quoque eodem sensu eodemque cognomine ornata

---

Alii vero LUCINAM JUNONIS filiam, a JOVE procreatam, nobis tradunt, indeque eam propriam castamque Deam declarant, cui gravidarum partus curae est.

> "Date mihi huc stactam atque ignem in aram, ut venerem Lucinam meam." PLAUT. Truculent. Act. II. Scen. V. v. 23.
>
> HORAT. Carm. Saecular. v. 15. — VIRGIL. Bucolic. Ecl. IV. v. 10. — OVID. Metamorph. Lib. IX. v. 292 et sq. — HOMER. Ilias Lib. XI. v. 269 et sq. — APOLLOD. Lib. I. Cap. III. §. 1. — HESIOD. Theog. v. 921 et seq.

Certiora de die festo, qui in JUNONIS LUCINAE honorem celebrabatur quotannis in monte Esquilino, apud MORITZIUM invenimus:

*"Die Mütter versammelten sich auf dem esquilinischen Berge, im Tempel der Juno Lucina, welcher an eben diesem Tage (am ersten März) eingeweiht war; sie schmückten den Tempel mit Blumen und frischen Kräutern aus, und erfleheten sich eine glückliche und tapfere Nachkommenschaft, Fruchtbarkeit, und eine leichte Entbindung."* MORITZ, *ΑΝΘΟΥΣΑ oder Rom's Alterthümer. Berl.* 1791. 8. *Th. I. S.* 58.

Etiam a quovis recens nato in templo quotannis tributum conferri debuit.

> "Sed quum vellet scire et quis esset numerus urbanae multitudinis, et eorum qui nascebantur, et eorum qui moriebantur, et eorum qui in virorum numerum referebantur, statuit quanti precii nummum pro singulis cognati inferre deberent in aerarium Ilithyae (quam Romani vocant Junonem Lucinam) pro iis qui nascerentur" etc. DION. Halicarn. Antiq. Rom. Lib. IV. Cap. XV.

1) Laudanda essent hoc loco verba apud APOLLODORUM [a]), ubi DIANAM matri obstetricia praestitisse, et postquam sempiternam virginitatem devoverat, puerperis adjuvandis maxime operam dedisse [b]), narratur.

a) *"Λητὼ δὲ, συνελθοῦσα Διῒ, κατὰ τὴν γῆν ἅπασαν ὑφ' Ἥρας ἠλαύνετο· μέχρις, εἰς Δῆλον ἐλθοῦσα, γεννᾷ πρώτην Ἄρτεμιν ὑφ' ἧς μαιωθεῖσα, ὕστερον Ἀπόλλωνα ἐγέννησεν".*

APOLLOD. Lib. I. Cap. IV. §. 2.

b) *"Οὔρεσιν οἰκήσω· πόλεσιν δ' ἐπιμίξομαι ἀνδρῶν*
*μοῦνον ὅτ' ὀξείῃσιν ὑπ' ὠδίνεσσι γυναῖκες*
*τειρόμεναι καλέουσι βοηθόον· ᾗσί με Μοῖραι*
*γεινομένην τὸ πρῶτον ἐπεκλήρωσαν ἀρήγειν·*
*ὅττι με καὶ τίκτουσα καὶ οὐκ ἤλγησε φέρουσα*
*μήτηρ, ἀλλ' ἀμογητὶ φίλων ἀπεθήκατο κόλπων."*

CALLIMACH. Hymn. ad Dianam v. 20 et seq.

a parturientibus in auxilium vocabatur; ex minoribus vero partus

---

Inter magnum cognominum numerum praecipue haec commemoranda sunt: *μογοστόκος* [a]), *ὠκυτόκος* [b]), *προθύραιος* [c]), *Orsiloche* [d]), *λυσιζώνη* [e]) et alia.

*a*) a verb. *μογοστοκέω, ich habe Geburtsschmerzen, gebäre mit Schmerzen.* "Ἀλλὰ τεὴ βασίλεια μογοςόκος Ἄρτεμις ἐςιν."

Theocr. Idyll. XXVII. v.29.

Homer. Ilias XVI. 187. — XIX. 119. — XI. 270. — Homer. Odyss. XIX. 188.

*b*) a vocab. *ὠκὺς, schnell, hurtig* et *τόκος, Geburt.* "Ταύτας μὲν νυν τῇ Εἰλειθυίῃ ἀποφερέσας ἀντὶ τοῦ ὠκυτόκȣ τὸν ἐτάξαντο φόρον ἀπικέσθαι·" Herodot. Lib. IV. Cap. 35. Sophocl. Oed. Colon. v. 685 et seq.

*c*) *προθύραιος*, (*θύρα*) *vor der Thür;* tantum significat, quantum latin. vocabulum "*praeses*" scil. parturientium. "Ἄρτεμις Εἰλείθυια, καὶ ἠσεμνὴ Προθυραία·"

Orpheus, Hymn. I. 12.

*d*) a verb. *ὄρω, ich setze in Bewegung* et *λοχεία, das Gebären, die Geburt.* "Diis enim hostiis litantes humanis et immolantes advenas Dianae, quae apud eos dicitur Orsiloche, caesorum capita fani parietibus praefigebant, velut fortium perpetua monumenta facinorum." Ammian. Marcellini rerum gestarum Lib. XXII, in vitae Caesarum Scriptor. Basil. 1546. fol. p. 568.

*e*) a verb. *λύω, ich löse* et *ζώνη, der Gürtel.* "Est eodem quoque nomine zona, quam solvere narrantur primum parientes, dicantque Dianae, nato inde illius cognomento, ut appelletur *λυσιζώνη*, quo nomine etiam Athenis templum visebatur consecratum." Lud. Cael. Rhodigin. Lection. Antiquar. Lib. XVI. Cap. X. p. 854. Et alio loco: "Scribit Phurnutus in Deorum natura, Ilithyiam credi a multis lunam *ἄπανσως εἰλεμένην, καὶ θεῦσαν περὶ τὴν γῆν.* Quam adventare mitem, ac Lysizonon comprecentur parturientes, uti solvat *τὸ ἐσφιγμένον τῶν κόλπων.*" Lib. XXVIII. Cap. XXIV. p. 1581.

Multis ab auctoribus Lucinae cognomen non solum Junoni, sed etiam Dianae tribuitur, ita ut dubium saepe excitetur iis in locis, quae Lucinae nomen solum proferunt, cuinam ex utraque sit honos nominis Lucinae tri-

ipsius Deabus PROSAM vel PRORSAM, PORRIMAM, POSTVERTAM[1]), EGERIAM[2]) et DEOS NIXIOS[3]) aliaque praeterea invocabant nu-

---

buenda. Quin CATULLUS in carmine saeculari ad DIANAM[a]) LUCINAM JUNONEM eam vocat. Quae diversa inter se atque repugnantia videntur, eo tantummodo possunt explanari, si LUNAE vim in mulierum genus exhibentem consideremus: accuratiorem vero rei indagationem archaeologis mythographisque relinquimus, omissis omnibus, quae ex illorum scriptis proferre adhuc possimus, ne limites nobis praescriptos ultra transgrediamur.

*a*) "Tu Lucina dolentibus,
Juno dicta puerperis,
Tu potens Trivia, et notho es
Dicta lumine Luna."

CATULL. Saecul. carm. ad Dianam. XXXII.

1) *Prosa* implorabatur, ut partus naturales et faciles accelararet, *Postverta* autem ut perversos et difficiles partus impediret. AULUS GELLIUS (Noct. Attic. Lib. XVI. Cap. XVI.), ambas ex CARMENTA, EVANDRI matre, natas fuisse, iisque duas Romae aras statuisse, narrat.

"Porrima placantur Postvertaque, sive sorores,
Sive fugae comites, Maenali Nympha, tuae."

OVID. Fast. Lib. I. v. 633.

MACROBIUS, Saturnal. Lib. I. Cap. VII.

| DEO. MERCURIO. ET. POS<br>TVERTE. C. ANTIUS. TITI<br>FILIUS. EX. VOTO |
|---|

GRUTER. Inscription. Tom. I. p. L.

BOETTIGER, Ilithyia. l. laud. p. 47.

2) "Ut conceptum alvo facile egerant." THOM. BARTHOLIN, Antiquitatum veteris puerperii Synopsis. Amstelod. 1676. 12. p. 18.

"Egeriae Nymphae sacrificabant praegnantes, quod eam putabant facile conceptam alvum egerere." FEST.

3) NIXII DII plerumque in numero plurali usurpabantur, et feminas in puerperio adjuvare dicebantur.

"Nixii Dii appellantur tria signa in Capitolio ante caellam Minervae genibus nixa, velut praesidentes parientium nixibus." FEST.

mina [1]). Ceterum obstetrices Graecorum, etsi scriptores veteres inique saepe eas tractant [2]), non solum humili loco ortas fuisse, ostendit SOCRATES, qui ipse PHAENARETA obstetrice generosa et gravi se natum esse confessus est [3]). Nam eae plerumque parturientes apte ad partum

---

"Septem ego per noctes, totidem cruciata diebus,
Fessa malis, tendensque ad coelum brachia, magno
Lucinam, Nixosque pares, clamore vocabam."

OVID. Metamorph. Lib. IX. v. 293 et seq.

1) Inter numina, quibus puerperarum cura commissa erat, non modo invocabantur Deae, sed etiam Dii, ut INTERCIDONA, PILUMNUS et DEVERRA, de quorum officio AUGUSTINUS sequentia habet:

"Tamen mulieri foetae post partum tres deos custodes commemorat adhiberi, ne Sylvanus deus per noctem ingrediatur et vexet, eorumque custodum significandorum causa tres homines noctu circumire limina domus, et primo limen securi ferire, postea pilo, tertio deverrere scopis: ut his datis culturae signis, deus Sylvanus prohibeatur intrare: quia neque arbores caeduntur ac putantur sine ferro: neque far conficitur sine pilo: neque fruges coacervantur sine scopis. Ab his autem tribus rebus tres nuncupatos deos: Intercidonam a securis intercisione: Pilumnum a pilo: Deverram a scopis: quibus diis custodibus contra vim dei Sylvani, foeta conservaretur."

AUGUSTIN. de civitat. Dei. Pars I. Lib. VI. Cap. IX. p. 598.

Non minus laudanda est *Mater matuta*, quae eadem est, ut apud Graecos Dea LEUCOTHEA; BONA DEA; MANA GENETA et aliae.

"Leucotheë Grajis, Matuta vocabere nostris.
In portus nato jus erit omne tuo."

OVID. Fastor. Lib. VI. v. 545.

2) "Lesbiam adduci jubes.
Sane pol illa temulenta est mulier et temeraria,
Nec satis digna, cui committas primo partu mulierem:"

TERENT. Andria Act. I. Scen. 4.

PLATON. Theaetet. Part. II. Vol. I. pag. 190 et seq. edition. Bekker. Berl. 1817. 8.

3) "O ridicule, audistin esse me filium obstetricis generosae admodum acrisque et torvae, Phaenaretae"?

PLATON. Theaetet. Part. II. Vol. I. p. 189.

collocare in sella obstetricia, accipere foetus, [illegible] deligare (omphalotomia), et infantium curam [illegible] HIPPOCRATE[2]) quoque discimus, in partubus natura[illegible] praebuisse atque dolores ad partum, quamquam haud [illegible] Helleboro, et interdum, ut PLATO docet, illicitis remediis[3]) [illegible] unguento quoque oblini genitalia, parturientes ipsas vero in sella [illegible] perforata peperisse[4]). Neque solum parturientibus adstabant, [illegible] ut GALENUS[5]) et PLATO[6]) nobis referunt, connubia jungebant, [illegible] tamen officio mox destiterunt. Quin eo pervenit, ut mulierum morbos curare[7]), quae leguntur apud MOSCHIONEM[8]), et cum puerperis

---

1) EZECHIEL, Cap. 16. v. 4 et 5.

2) C. CHR. BAUER, Diss. de arte obstetricia Hippocratica. Tubing. 1823. 8.
RITGEN, *Die Geburtshülfe des Hippocrates in der gemeins. deutsch. Zeitschrift. Bd. IV. Heft* 3. *S.* 439. — *Bd. IV. Heft* 4. *S.* 623. — *Bd. V. Heft* 3. *S.* 428. — *Bd. VI. Heft* 2. *S.* 254.

ED. VON SIEBOLD, Commentatio exhibens disquisitionem, an ars obstetricia sit pars chirurgiae? Gotting. 1824. 4. p. 22 et seq.

3) "Quin etiam medelis et incantationibus obstetrices excitare mollireve partus vexationes valent, et aegre parturientibus opitulari, foetusque educere" etc. PLATON. Theaetet. p. 190. ed. BEKKER.

4) HIPPOCR. de superfoetat. ed. Foës. Sect. III. p. 42.

5) GALEN. in Comment. in Aphor. Hippocr. Lib. V. Aphorism. 59. Tom. XVII. Pars II. p. 857. edit. KÜHN.

6) PLATON. Theaetet. p. 191.

7) "Nam Boëthi uxor fluore muliebri ut appellant infestata, quum per initia celebres medicos, e quorum numero et ego jam unus esse omnibus videbar, revereretur, consuetis obstetricibus optimis quibusque in urbe se ipsam concredidit." GALEN. in libr. de Praenotione ad Posthumum. Cap. VIII. edit. Kühn. Tom. XIV. p. 641. — GALEN. de locis affectis. Lib. VI. Cap. V. Tom. VIII. p. 414 et seq.

8) "Quid est obstetrix? Mulier omnia, quae ad foeminas spectant edocta, immo et artis ipsius medendi perita; ita ut illarum omnium morbos commode curare valeat." etc.

MOSCHION, de mulierum passionibus. ed. F. O. DEWEZ. Viennae. 1793. 8.

victus rationem, tum medicamenta ore sumenda praecipere[1]) mulieres juberentur. Abortiva[2]) quoque dabant, etsi ab HIPPOCRATE diserte id fuerit interdictum[3]); attamen hic ipse in idem cucurrisse videtur vitium, fidicinam enim, quam gravidam esse non decuit, ad terram saltare jussit, ita ut ovulum ex utero egrederetur[4]). Auxilia vero, quibus foeminae steriles reddantur et concepti in uteris foetus

---

Cap. I. — Continetur quoque in: Gynaec. siv. de mulier. affectibus etc. cura J. SPACH. Argent. 1597. fol. et in Gynaec. per BAUHINUM edit.

1) Lesbia obstetrix:

"Nunc primum fac istaec lavet: post deinde
Quod jussi ei dari bibere, et quantum imperavi
Date: mox ego huc revertor."

TERENT. Andria. Act. III. Scen. 2.

2) "Dant etiam Obstetrices pharmaca quaedam his, quae difficilem partum expertae sunt (ταῖς δυςοκέσαις), ut Plato inquit." JUL. POLLUX, Onomast. Amstel. 1706. fol. Segm. 208. Lib. IV. Cap. XXVI.

"*Καὶ ἐὰν νεὸν ὂν δόξῃ ἀμβλίσκειν, ἀμβλίσκουσιν.*" PLATON. Thaetet. p. 190. edit. BEKKER.

Quae verba "*ἀμβλίσκειν, ἀμβλίσκουσιν*" hoc loco, ut factum est a BEKKERIO in editione sua PLATONIS, non reddenda sunt latinis verbis: "Obtundere atque retrudere."

Certiora in binis locis invenimus apud JULIUM POLLUCEM, hisce verbis usum: "*Ἄμβλωσις*, Abortus, ut Lysias inquit; et *ἄμβλωμα*, secundum Antiphonem; et *ἀμβλίσκειν* abortum facere, secundum Platonem."

Segm. 7. Lib. II. Cap. II.

et alio loco: "Abortire vero, pro abortum facere, dixit Plato (*Ἀμβλίσκουσι δὲ, τὸ ἀμβλίσκειν ποιοῦσι, φησὶν ὁ Πλάτων.*")

Segm. 208. Lib. IV. Cap. XXVI.

3) HIPPOCR. de jurejurando et quidem hujus loci explicationem accuratiorem in editione jurisjurandi MEIBOMII, Lugd. Batav. 1643. 4. Cap. XV. Ceterum satis notum est, librum de natura pueri ad genuina Hippocratis scripta referendum non esse, quum ipsa historia de fidicina Hippocratis juramento morumque ejus sanctitati minime respondeat. Vid. MEIBOM. l. laud. p. 144.

4) HIPPOCR. de natura pueri Edit. Foës Sect. III. p. 16.

aboriantur, novit ASPASIA ab AËTIO laudata [1]); item ELEPHANTIS ac LAIS a PLINIO nominatae [2]). Attamen non solum de mulierum morbis scripserunt ELEPHANTIS et CLEOPATRA, sed etiam, ut GALENUS [3]) narrat, de arte cosmetica quaedam nobis conservarunt; neque dubitandum est, eandem illam fuisse ELEPHANTIDEM, quae infames libellos conscripsit, qui apud MARTIALEM [4]) et SUETONIUM [5]) laudantur. Talium mulierum Graecarum nomina collegit HALLERUS [6]), nec non PLINIUS OLYMPIADEM [7]), SALPEN [8]), LAIDEM [9]), ELEPHANTIDEM [10]) et SOTIRAM [11]) memorat. Jam quum exspectandum sit, istas mulieres corporis humani anatomiae non diligenter peritas, ex iis tantum, quae ipsae erant expertae, aut ab aliis cognoverant probata, semper rudi quodam modo rem esse aggressas, attamen seriori

---

1) "Si mulier ad gignendum foetum inepta, per negligentiam conceperit, primum usque ad trigesimum diem contraria fiant his, quae supra de cura praegnantibus adhibenda diximus, ita ut vehementissimis motibus uti jubeatur et ut saliat, ac gravissima onera levet." etc. AËTII Tetrabibl. quart. Serm. IV. Cap. XVIII. Foetum corrumpentia. Ex Aspasia. Basil. 1542. fol.

2) "Quae Lais et Elephantis inter se contraria prodidere de abortivis, carbone e radice brassicae, vel myrti, vel tamaricis in eo sanguine exstincto" etc. PLIN. Natur. histor. Lib. XXVIII. Cap. VII. XXIII.

3) GALEN. de composit. medicamentor. secundum locos. Lib. I. Cap. II. Tom. XII. p. 403 et 416. ed. KÜHN.

4) "Quales nec Didymi sciunt puellae,
Nec molles Elephantidos libelli."
MARTIAL. Epigram. Lib. XII. XLIII. in Sabellam.

5) SUETON. in Tiberio Cap. XLIII.

6) HALLER, biblioth. chirurg. Tom. I. p. 53.

7) PLIN. Natur. histor. Lib. XX. Cap. XXI. LXXXIV. — Lib. XXVIII. Cap. XIX. LXXVII.

8) PLIN. Natur. histor. Lib. XXVIII. Cap. VII. XXIII. — Lib. XXVIII. Cap. XIX. LXXX. Lib. XXXII. Cap. X. XLVII et LI.

9) PLIN. Natur. histor. Lib. XXVIII. Cap. VII. XXIII.

10) PLIN. Natur. histor. Lib. XXVIII. Cap. VII. XXIII.

11) PLIN. Natur. histor. Lib. XXVIII. Cap. VII. XXIII.

aetate multae earum, quae parturientibus auxilium ferre volebant, a medicis edoctae fuisse videntur [1]). Inter eos, qui omne studium ad artem obstetriciam contulerunt, imprimis aestimatum fuisse PAULUM AEGINETAM memorat ABULPHARAGIUS, hisce verbis usus: "Insigniter autem peritus fuit in mulierum morbis, multumque illis curae impendit. Convenire ipsum solebant obstetrices, et eum de rebus, quae mulieribus post partum acciderent consulere, quibus respondere dignabatur, et quid facerent in iis de quibus quaesierant indicare; unde eum ALKAWABELI s. obstetricium appellarunt [2])". Quin medici ipsi tales mulieres maximo afficiebant honore [3]), et libros suos de mulierum morbis illis inscripserunt, ut THEODORUS PRISCIANUS [4]) talem librum SALVINAE aut VICTORIAE cuidam [5]), ut alii volunt, dedicavit. Quae quum ita sint, facile perspicias, quam male tum sese habuerit usus et experientia medicorum, quippe qui, quum parturientibus adesse non

---

1) Cujus rei exemplum antiquius narrat HYGINUS:

"Agnodicen quandam puellam virginem concupisse medicinam discere, et se Herophilo tradidisse in disciplinam." HYGIN. Fabul. edit. Jo. SCHEFFER et THOM. MUNCKER. Hamb. et Amsterod. 1674. 8. CCLXXIV. p. 201 et 2.

Et in earum usu a medicis libros obstetriciam doctrinam continentes esse conscriptas, MOSCHIONIS compendium supra laudatum nobis testis est.

2) GREGOR. ABULPHARAGIUS, historia Dynastiarum ab EDUARDO POCOCKIO ed. Oxon. 1672. 4. p. 114 et 115.

3) Quamobrem PLINIUS, Natur. histor. Lib. XXVIII. Cap. VI. XVIII. de "obstetricum nobilitate" loquitur.

4) THEODOR. PRISCIANI archiatr. ad Timotheum fratrem phaenomenon euporiston lib. I., Logicus lib. II., Gynaecea ad Salvinam lib. III. Basil. 1532. 4.

In aliis codicibus nomen fert Q. OCTAVII HORATIANI, quem PRISCIANI discipulum faciunt, ut in edit. per HEREMANNUM COMITEM A NEVENAR. Argent. 1532. fol. Lib. III. ad VICTORIAM. De passionibus mulierum et curis earundem. p. 72.

5) "Le troisième est pour les maladies des femmes, c'est pourquoi il est intitulé Gynaecia. Il est adressé à une femme qui est differemment nommée dans les differentes éditions. Celle d'Aldus, et celle de Strasbourg l'appelent Victoria. Celle de Basse l'appelle Salvina." DANIEL LE CLERC, histoire de la Médecine. Seconde Partie. Liv. IV. Sect. I. Chap. XIII. p. 496.

liceret, ab ipsa partuum propriis naturae viribus absolutorum observatione, unde omnis existit medendi usus, semper sunt exclusi. Quantam habuerint auctoritatem hae mulieres, quas solas GALENO 1) monente de partu consulebant medici, inde conspicias, quod cognominatae sint "Medicae", ut e MARTIALI 2), GALENO 3) et ex inscriptione apud GRUTERUM 4) comperimus. Ita vocabantur SENTIA ELIS, JULIA Q. L. SABINA, FORELLA T. L. MELANIONA, FABULLA multaeque aliae 5), quarum arte probatarum et bonarum mulierum memoriam monumentis ipsis posteris commendandam esse censebant, ut SALUSTIAE Q. L. MERITAE aliarumque, quarum epitaphia GRUTERUS 6) collegit.

---

1) GALEN. de naturalib. facultatib. Lib. III. Cap. III. Tom. II. p. 151. ed. KÜHN.

2) "Protinus accedunt medici, medicaeque recedunt."
MARTIAL. Epigram. Lib. XI. LXXII. De Leda.

3) GALEN. de locis affectis. Lib. VI. Cap. V. Tom. VIII. p. 425. ed. Kühn.

4)

FLAVIAE
HEDONES
MEDICAE
EX. T.

GRUTER. Inscription. Tom. I. p. DCXXXV. 9.

5) HALLER, bibliothec. chirurg. Tom. I. p. 54.

6)

SALLUSTIA. Q. L. IMERIA
OBSTETRIX
Q. SALLUSTIUS. Q. L
ARTEMIDORUS
ARESCUSA. FECIT

GRUTER. Inscript. Tom. I. p. DCXXXVI. 6.

| | |
|---|---|
| SEX. POMPEIUS<br>SEX. L. DAPHNIS<br>GRAM<br>CHLOE. POMPEIÆ<br>APPI. OBST | ATIA. DYNAMIS<br>OBST |

GRUTER. Inscript. Tom. I. p. DCLII. 10.

Jam vero etsi non solum in partu naturali sed etiam in difficiliore, — hic tamen a medicis edoctae —, auxilia ferrent mulieres [1]), attamen jam ex HIPPOCRATE [2]) disci potest, non semper mulieres fuisse obstetrices, nam et ex CELSO [3]) concludimus, non semper aditum ad parturientes praeclusum fuisse viris, sed tum, quum periculum esset majus, vel partus solito tardior, naturave non perfectus, advocatum fuisse medicum, qui consilia afferret, aut manibus instrumentisve auxiliaretur. Idem docuit MOSCHION, qui in libro de partu praeternaturali tam pauca nobis affert, ut bene conjiciamus, jam illa aetate in casibus gravioribus medicos sive chirurgos saepius in auxilium fuisse vocatos.

Quibus de CELSI vita, de ejus scriptis atque artis obstetriciae illo tempore statu praemissis, jam ad proprium dissertationis propositum transeo. —

1) "Sub medicorum itaque auspicio istae foeminae non solum parturientibus opem tulerunt, sed si etiam aliis vitiis, quae circa mulierum verenda incidere solent, et manus auxilium desiderant, medendum fuit, medicos consilia dedisse, medicas vero manus admovisse certum est." Jo. ZACHAR. PLATNER, Progr. de arte obstetricia veterum. Lips. 1735. 4. p. 11 et 12. Continetur quoque in: SCHLEGEL, Syllog. op. min. Vol. I. p. 11.

2) HIPPOCR. de Superfoetat. ed. Foës. Sect. III. p. 43.

3) "Medici vero propositum est, ut infantem manu dirigat vel in caput, vel etiam in pedes, si forte aliter compositus est." CELS. Lib. VII. Cap. XXIX. p. 490.

"Quo fit, ut et imus venter in conspectu medici sit" etc. CELS. Lib. VII. Cap. XXIX.

# LIBRI SEPTIMI
## Cap. XXIX.

### QUA RATIONE PARTUS EMORTUUS EX UTERO EXCUTIATUR [1]).

Ubi concepit autem aliqua, si jam prope maturus

1) Jam in titulo hujus capitis indicatum est, quomodo regulae ibi constitutae accipiendae sint [a]). Celsus enim omnia, quae in arte obstetricia tractat et praecipit, non, ut recentiores quidam opinantur, in vivis sed in mortuis tantum infantibus adhiberi voluit. Docet hic, quomodo infans mortuus ex utero sit extrahendus, quia tum temporis inter causas partum difficilem et laboriosum reddentes non modo numerari solebant matris haemorrhagiae [b]), convulsiones [c]), dolorum absentia, uteri laesio vel obliquitas [d]), aliique partium vicinarum affectus, veluti vesi-

a) Ed. von Siebold's *Aufsatz über Geschichte der Geburtshülfe im encyclopädischen Wörterbuch der medicin. Wissenschaften. Berl.* 1836. 8. *Bd. XIV. S.* 130.

b) "Si parturienti ante foetum, multus sanguinolentus citra dolorem fluxus contingat, periculum est, ne foetus mortuus exeat, aut minime vitalis edatur." Hippocr. de superfoetatione. Ed. Foës. Sect. III. p. 43.

c) "A partibus autem peculiariter difficultas oritur, si uterus inflammatus fuerit, vel tumores quidam impedimento sint. Vel si approximante partu haemorrhagia vel congestio adsit" etc. Moschion, de mulier. passionib. Cap. CXLIV.

d) "Potest et difficultas pariendi contingere, aut ob cervicis uteri obliquitatem, aut ob carnem eidem cervici vel osculo ejus adnatam" etc. Aëtii Tetrabibl. quart. Serm. IV. Cap. XXII. Basil. 1542. fol. — Aëtii Tetrabibl.

partus intus emortuus est, neque excidere per se potest,

cae calculi, vesica urinaria impleta, vel excrementorum in intestino recto copia a), sed etiam nimia foetus magnitudo et deformitas b), minimum foetus caput c), perversus et vitiosus ejus situs d), membranarum

quart. Serm. IV. Cap. LXXVII. De reclinatione, aversione ac recursu uteri. Aspasiae.

Moschion, de mulier. passionib. Cap. CXLI.

a) "Difficultas oritur, si in vesica calculus, vel si coacervata in colo scybala sint". Moschion. de mulier. pass. Cap. CXLIV.

Aëtii Tetrabibl. quart. Serm. IV. Cap. XXII.

b) "Qui vero foetus, per abortiones liberari nequeunt, quod nimirum ii toti, aut eorum partes majores existant, aut minores, sed transversi et imbecilles, si quidem ejusmodi sint secundum naturam, ubi prius calida multa laveris, ex his quae recensebo medicamentum aliquod exhibeto." Hippocr. de morb. mulier. ed. Foës. Lib. I. Sect. V. p. 182.

"Procul dubio cum maximum caput fuerit vel totum corpus uteri capacitatem suo volumine superaverit. Vel foetus si hydropicus est, aut gibbus, vel infirmus, tumidus aut mortuus, vel etiam praeternaturaliter locatus." Mosch. de mulier. pass. Cap. CXLV.

Aëtii Tetrabibl. quart. Serm. IV. Cap. XXII et XXIII.

Pauli Aeginetae, oper. Lib. III. Cap. LXXVI. edit. Guinter. Andernac. Argentor. 1542. fol. p. 187.

Avicennae, oper. Lib. III. fen XXI. tract. II. Cap. 21. Venet. 1544. fol. p. 398.

c) "Aut equidem mortuus est (foetus), vel parvum caput habet, et ideo orificium dilatare nequit, neque ab obstetrice facile apprehenditur". Moschion. de mulier. passionib. Cap. CLI.

Paul. Aegineta, Lib. III. Cap. LXXVI. p. 187.

Avicenna, Lib. III. fen XXI. tract. II. Cap. 21. p. 398.

d) "Cum vero puer prodit, utero dilatato, qui mollis est, vi sibi viam aperit, et in caput fertur, si secundum naturam exierit" etc. Hippocr. de natura pueri ed. Foës. Sect. III. p. 26 et 28.

"Situs enim prodeuntis foetus naturalis est, ut recta in caput, manibus ad utrumque femur extentis prodeat. Praeter naturam vero caput in dextram vel sinistram uteri partem declinat, aut altera, aut utraque manus exeri-

**adhibenda curatio est: quae numerari inter difficillimas**

---

nimia crassities vel tenuitas, aliaque secundinarum vitia [a]) — et quod maximum est, foetus debilis, vel in utero mortuus, quod indicant HIPPOCRATES [b]), MOSCHION [c]) et AËTIUS [d]) illa a FRIDREICHO [e]) nuper recepta sententia nixi: foetum sibi ipsi exitum quaerere, ut scripsit etiam CONSTANTINUS AFRICANUS: "Partus fit difficilis, si foetus mortuus sit, neque se ad exeundum adjuverit, movendo [f])." Attamen

---

tur, et crura intus inter se diducuntur". AËTII Tetrabibl. quart. Serm. IV. Cap. XXII.

HIPPOCR. de morb. mulier. Lib. I. Sect. V. p. 167.

HIPPOCR. de octimestr. partu. Sect. III. p. 40.

MOSCHION, de mulier. pass. Cap. CXLVI.

PLIN. Natur. histor. Lib. VII. Cap. VIII. VI.

a) "Difficilis item fit partus, si secunda aut propter crassitudinem non abrumpitur, aut propter tenuitatem antequam oportet divellitur." AËTII Tetrabibl. quart. Serm. IV. Cap. XXII.

MOSCHION. de mulier. pass. Cap. CL.

HIPPOCR. de superfoetat. ed. Foës. Sect. III. p. 41.

HIPPOCR. de octimestr. partu. Sect. III. p. 40.

PAUL. AEGINETA, Lib. III. Cap. LXXVI. p. 187.

b) "Id quoque magnopere in causa est, cur non facile exeat, si mortuus, aut syderatus, aut duplicatus foetus fuerit". HIPPOCR. de morb. mulier. ed. Foës. Lib. I. Sect. V. p. 167.

c) MOSCHION, de mulier passionib. Cap. CLI.

d) "Difficilis praeterea fit partus, quum foetus totus, aut pars magnitudine excellit: saepe enim caput, vel thorax, vel venter, plus aequo augescit: aut quum debilior est foetus, et saltibus ac motibus suis matrem adjuvare non potest, aut quum biceps est aut triceps, aut quum gemini prodeunt" etc. AËTII Tetrabibl. quart. Serm. IV. Cap. XXII.

e) J. B. FRIEDREICH, *Ein Wort über das Ueberraschtwerden von der Geburt und Gebären ohne Wissen in Henke's Zeitschr. für Staatsarzneikunde. Bd. XXI. S.* 391 - 395.

f) CONSTANT. AFRICANI de morb. cognit. et curat. Lib. VI. Cap. XVI. Basil. 1536. fol. p. 134.

potest. Nam et summam prudentiam moderationemque

---

jam ante FRIDREICHUM A. PETIT hanc quaestionem tractavit ita: "Malgré l'opinion de la plupart des auteurs, je pense que l'enfant est purement passif, et que la matrice seule est active et opère tout, qu'elle seule commence et finit l'accouchement etc." a)). Nec non conferatis velim BLUFFII b)), RATHII c)), DUGÈS d)) et ALBERTI e)) dissertationes. Quod si ea, quae veteres scriptores de foetibus mortuis et auxilio in iis adhibendo dixerunt, perlustramus, mox videmus, eos foetum in utero mortuum non satis plane cognovisse; etenim non modo nimiam foetus magnitudinem, sive recte conformatam, sive monstrosam f)), vel uteri stricturam g)), vel prolapsum brachium h)) mortis signum habebant, sed etiam omnino foetum, qui auxiliis adhibitis in partu difficiliore prodire

---

a) A. PETIT, Traité des maladies des femmes enceintes etc., publié par BAIGNÈRES et PERRAL. Paris. an. VII. 8. Tom. I. p. 276.

b) BLUFF, *Wird das Kind von der Mutter geboren, oder gebiert es sich selbst? in Ed. v. Siebold Journ. Bd. XIII. St.* 1. *S.* 145.

c) RATH, *Ist es wahr, daſs das Kind sich selbst gebärt? in Henke's Zeitschrift für Staatsarzneykunde. Bd. XXIII. S.* 408.

d) DUGÈS, Sur les obstacles apportés à l'accouchement par certaines déformations, adhérences, solutions de continuité ou diminution de consistance du foetus. Revue médicale française et étrangère. Novemb. 1833. 8. Paris. p. 169 et seq.

e) ALBERT, *Gebiert das Kind sich selbst, oder wird es von der Mutter geboren? in der neuen Zeitschr. für Geburtskunde. Bd. III. Heft* 1. *S.* 76.

f) "Si vero ob capitis, aut thoracis, aut ventris magnitudinem, partus difficilis fiat, omnino necessarium est foetum secare." AËTII Tetrabibl. quart. Serm. IV. Cap. XXII. p. 872.

g) MOSCHION. de mulier. pass. Cap. CLI et CLII.

h) "Cum vero parturienti mulieri transversus foetus ceciderit, quod fit ubi ipse vertitur, et umbilicus circa collum obvolvitur, foetusque exitum cohibet, et caput in coxendicem inserit, manusque ut plurimum foras eminet, quod quidem jam mortui foetus significationem praebet." HIPPOCR. de foetus in utero mortui exectione ed. Foës. Sect. VI. p. 193.

desiderat, et maximum periculum affert 2). Sed ante

---

recusaret, mortuum esse opinabantur a). Quo errore ducti saepe eos infantes vivos, quos mortuos arbitrabantur, concisos esse, bene videat is qui cognoverit, quam dubia nostris temporibus sint signa foetus in utero mortui.

2) CELSUS jam hisce verbis indicat illud, quod in sequentibus haud raro repetit: operationem illam, quum jam antea parturientium valetudo magnopere laborasset, accuratissime esse faciendam, et medicum obstetricantem non modo prudentissimum et artis peritissimum esse debere, sed etiam cautissimum et quasi timore quodam affectum, etsi agere velit; etenim patientia tantum, experimentis iteratis, cauta providentia et moderatione rem esse assequendam.

3) Idem quod "uteri", quum veteres jam inde ab HIPPOCRATE omnes partes genitales molles ab introitu vaginae usque ad uteri fundum uterum esse putarent, atque rem totam nominarent uterum et vaginam, *ὑστέρα καὶ μήτρα*. Indeque error eorum de externo et interno uteri orificio, etenim quod nos orificium vaginae sive rimam pudendorum nominamus, vocabant illi externum uteri orificium, *τὸ στόμα τῆς ὑϛέρας*; et introitum vaginae in uterum vel exitum canalis uteri cervicis, quem nos externum uteri orificium apellamus, illi internum uteri orificium, *τὸ ἔνδρον στόμα*, *τὸ στόμα τῶν ὑστερέων* vel *μετρέων* vocabant. In hisce utebantur numero plurali (orificium uterorum nempe dicebant), quia opiniones suas anatomicas a bestiis repetentes, humanum uterum veluti bestiarum uteros bicornes in duos sinus divisum, aut uterum duplicem, externum autem uteri orificium simplex esse arbitrabantur. Vaginam *αὐχένα καὶ τράχηλον*, cervicem,

---

a) "Quod si ita impactum fuerit, ut nullo modo retrudi possit, uncinus attractorius oculo, aut ori, aut mento infigatur, et ita infans extrahatur" etc. AETII Tetrabibl. quart. Serm. IV. Cap. XXIII. De foetus extractione ac exectione. Philumeni. p. 873.

... mirabilis a), **cum in multis aliis,**
... *facile* **cognoscitur.**

... procurrentem vocabant; aut postea vaginae ... majoris, et uteri cervici nomen colli minoris ... re cf. MOSCHIONEM b) et ea quae affert SORA-... dicitur μήτρα, et ὑστέρα et δελφὺς c)." Ex ... apud ABULCASEM d) et PARAEUM e) de speculis ...dis comperimus, eos vocabulo "matrix" nullam aliam ...ntiam, quam tribuerunt ARISTOTELES et alii, qui va-...ficari putarunt. Sicuti autem HIPPOCRATES f), ARISTO-

---

a) FR. BENJ. OSIANDER, *Annalen der Entbind.-Lehranstalt. Gött.* 1804. 8. ... II. St. 2. S. 384 ff.

b) MOSCHION, de mulier. passionib. Cap. II et VI.

c) SORANUS, de Vulva in ORIBAS. SARDINIAN. collect. medicinal. Lib. XXVII. Paris. 1555. 8. Lib. XXIV. Cap. XXXI. p. 307.

d) "Cum ergo vis aperire matricem eo tunc fac sedere mulierem super lectum suum pendentibus pedibus, aperto quod est inter crura ejus, deinde intromitte ista duo additamenta conjuncta in matricem, et tu teneas extremitatem instrumenti inferius inter coxas ejus, deinde aperi manum tuam cum instrumento sicut facis cum forcipibus, aequaliter secundum quantitatem quam vis ex apertione oris matricis, donec faciat obstetrix, quod vult." ALBUCASIS, methodus medendi. Lib. II. Cap. LXXVII. Basil. 1541. fol. pag. 128.

e) "Quae in uteri cervice succrescant verrucae, si quidem minime malignae sint, filo constringendae erunt et exsecandae. Quae altius in utero abditae delitescent, speculo matricis immisso oculis et digitis venient subjiciendae." AMBROS. PARAEI oper. chirurgic. Lib. XXIII. Cap. LXII. Francof. 1594. fol. pag. 713.

f) "Cum mulier superfoetarit, si quidem primus foetus in medio utero contineatur, superfoetatum quoque a priore expulsum prolabitur. Quod si in altero cornu praepostere conceptum contineat, ipsum postea partu ejicit, minime vitalem, postquam vitali foetu liberatus uterus, laxatus et humectus fuerit." HIPPOCR. de superfoetat. ed. Foës. Sect. III. p. 41.

**Oportet autem ante omnia resupinam mulierem trans-**

---

TELES [a]), postea quoque GALENUS [b]), quos secuti sunt ORIBASIUS et ARABES [c]), nil nisi uteros cornubus et sinubus ornatos nominant, ita inter antiquiores nominandus est CELSUS qui certiora de iis retulit, — nam non cornua et cava affert —, qui etsi uterum humanum non accuratius definierit, attamen jam ligamenta uteri lata novisse videtur [d]), ita enim dicit: "Deinde super rectum intestinum progressa, iliis foeminae latera sua innectit [e])." Ac multa copiosiora afferunt illustre illud quod jam nominavimus SORANI caput et MOSCHIONIS scripta, quibus icon satis bona adjecta est [f]).

4) Vocem "mirabilis" adhibet CELSUS, ob insignem uteri proprietatem, qua gravdiditatis tempore se extendens simul densior fit et

---

HIPPOCR. de natura pueri. Sect. III. p. 28.

"Mares uteri dextra parte, foeminae sinistra magis gestantur." HIPPOCR. Aphorism. Lib. V. 48.

*a*) ARISTOTEL. de generat. animal. Lib. I. Cap. III. edit. IMMAN. BEKKER. Berl. 1831. 4.

ARISTOTEL. histor. animal. Lib. III. Cap. I. edit. J. C. SCALIGER. Tolos. 1619. fol. p. 285 et seq.

*b*) "Mulieri autem et caeteris animalibus, quae mulieri utero similia sunt, veluti caprae et vaccae" etc. GALEN. de uteri dissect. Cap. III. edition. KÜHN. Tom. II. p. 891.

GALEN, de usu partium corporis humani. Lib. XIV. Cap. IV. Tom. IV. p. 150 et seq.

*c*) AVICENNA, Lib. III. fen XXI. tract. I. Cap. 1. p. 368.

*d*) "Sans donner la description précise de la matrice, il ne parle pas de sinus ou cornes de ce viscère. Cependant il a probablement connu ses ligamens larges, ainsi que la position naturelle de l'utérus" etc. SCHWEIGHAEUSER, tablettes chronologiques. Strasb. 1806. 8. pag. 22.

*e*) CELS. Lib. IV. Cap. I. p. 186.

*f*) ED. SANDIFORT et NICOL. VAN DER EEM, Dissert. De artis obstetriciae hodiernorum prae veterum praestantia, ratione partus naturalis. Lugd. Batav. 1783. 4. — Continetur quoque in: SCHLEGEL, Syllog. op. min. Vol. I.

verso lecto[5]) sic collocare, ut feminibus ejus ipsius ilia

---

robustior, at post partum eo celerius decrescit. Qua de re, nulla in corporis parte inventa, SWAMMERDAMUS[a]) in libro de uteri structura eum miraculum naturae vocavit. Et notissimo loco GALENUS fatetur, se, ubi primum viderit uterum, ei paene sacrificasse[b]); videas etiam qua cum re PLATO comparavit uterum his verbis, quae GALENUS[c]) quoque repetit: "Vulva quoque matrixque in feminis eadem ratione animal avidum generandi, quando procul a foetu per aetatis florem aut ultra diutius detinetur, aegre fert moram ac plurimum indignatur passimque per corpus oberrans meatus spiritus intercludit, respirare non sinit, extremis vexat angustiis, morbis denique omnibus premit, quousque utrorumque cupido amorque quasi ex arboribus foetum fructumve producunt[d])".

5) Hisce quidem verbis CELSUS breviter indicat transversum parturientis situm in lecto (*Querbett*), neque ignorat medico obstetricanti in partu difficiliore et majores vires desiderante hunc pariendi situm esse eligendum, utpote ad auxilia aptissimum. Hic quoque, quod ad historiam attinet, nemo non videt, CELSUM, qui primus transversum situm utilissimum quidem affert, novam aggressum esse viam[e]), postea non modo a PAULO AEGINETA[f]), sed etiam ab aliis saepe

---

a) J. SWAMMERDAM, Miraculum naturae sive uteri muliebris fabrica, notis in D. J. van Horne prodromum illustrata. Lugd. Batav. 1673. 4.

b) FR. BENJ. OSIANDER, *Handb. der Entbindungsk.* *Tübing.* 1819. 8. *Th. I. Cap. X. S.* 164.

c) GALEN, de locis affectis. Lib. VI. Cap. V. Tom. VIII. p. 425. ed. KÜHN.

d) PLATON. Timaeus. Part. III. Vol. II. p. 139 et 140. edit. BEKKERI.

e) G. CH. SIEBOLD, Commentatio de cubilibus sedilibusque. Gotting. 1790. 4. p. 58.

ULSAMER's *Aufsatz über das Geburtslager im encyclopädischen Wörterbuch der medic. Wissenschaften. Berl.* 1836. 8. *Bd. XIV, S.* 174.

*f*) PAULI AEGINET., oper. Lib. VI. Cap. LXXIV. p. 305.

**comprimantur[6]: quo fit, ut et imus venter in conspectu**

---

usurpatam. Optimum hunc auxiliandi modum, vel maxime autem divulgarunt AMBROSIUS PARAEUS[a]) ejusque discipulus GUILLEMEAU[b]); magis perfecerunt et emendarunt DE LA MOTTE[c]) et LEVRET[d]).

6) Difficilius visum est id quod CELSUS his verbis: "ut feminibus ejus ipsius illa comprimantur" dicere voluit, accuratius exprimere, attamen dubitari nequit, quin eum pariendi situm designare voluerit, ubi genua versus pectus mulieris ita quidem obversa sunt, ut calces natibus aliquantulum appropinquent, cui quidem explicationi bene responderent verba statim sequentia: "ut imus venter in conspectu medici sit". Ut intelligar, breviter ita dixerim: "*mit angezogenen Schenkeln*". Qua de re conferas velim et JAEGERI[e]), LANGII[f]) et JENENSES[g]) versiones CELSIANAS, nec minus KHÜFFNERI, qui verba illa

---

a) "Inde opportuno situ collocanda aegra: nempe in sponda lecti extrema, transversim, natibus, subjecto pulvinari solido, elatioribus, media figura ita componenda est, ut nec plane supina sit, nec omnino insidens, et erecta." AMBROS. PARAEUS, oper. chirurgic. Lib. XXIII. De hominis generatione. Cap. XXVI. p. 682.

b) GUILLEMEAU, de la grossesse et accouchement des femmes. Paris. 1642. 8. Liv. II. Chap. V. p. 117 et seq.

c) DE LA MOTTE, Traité complet des accouchemens. Leiden. 1729. 4. Liv. I. Chap. III. p. 5. et Chap. XXV. p. 105.

d) LEVRET, l'art des accouchemens. Paris. 1766. 8. Troisième Partie. Chap. II. p. 124 et seq.

e) *Grundriſs der Wund-Arzneykunst in den ältern Zeiten der Römer, oder A. Corn. Celsus Siebentes und Achtes Buch von der Arzneykunst. Aus dem Lateinisch. übers. von* J. C. JAEGER. *Frankf.* 1789. 8.

f) J. H. LANGE, *Kritischer Versuch einer deutschen Uebersetzung der acht Bücher des Aurel. Cornel. Celsus von der Arzneykunst. Lüneb.* 1768. 8.

g) A. C. CELSUS *von der Arzneiwissenschaft in acht Büchern. Aus dem Lateinischen übersetzt, mit dem Leben des Celsus nach Bianconi und einigen erläuternden Anmerkungen versehen. Jena und Leipzig.* 1799. 8.

medici sit, et infans ad os vulvae compellatur; quae, emortuo partu, id comprimit: ex intervallo vero paulum dehiscit. Hac occasione usus medicus, unctae manus indicem digitum primum debet inserere, atque ibi continere, donec iterum id os aperiatur, rursusque alterum digitum demittere debebit, et per easdem occasiones alios, donec tota esse intus manus possit 7). Ad cujus rei faculta-

---

ita reddidit: "*Man soll eyn solche frawen also rückling oberzwerch auff ein pett legẽ, also, das jr unders inngeweyd von den schlossen der hüffen getrucket werde* a)". Similis ille locus est apud Paulum Aeginetam b) jam supra laudatus, ubi transversum quoque pariendi situm accuratius descripsit.

7) Operationem hic memorat Celsus, quam ante eum nemo ita descripsit c) et quam Galli nominant: "*Accouchement forcé.*" Nimirum indicat, quomodo, quum uteri orificio paululum aperto necessarius fiat partus acceleratus, dilatandum sit orificium digitis singulis in uterum immissis: quae quidem operandi ratio nunc imprimis adhibetur placenta praevia. Diligentissime et accuratissime Celsus eam ita descripsit, ut mox in universum adhiberi solita esset. Jam diductionem illam orificii non modo digitis, sed etiam instrumentis efficere solebant antiqui praecipueque Arabes, quod in Avicenna d) et

---

a) Johannes Khüffner, *Uebersetzung der acht Bücher des Aurel. Cornel. Celsus*. 1531. *fol.*

b) "Oportet igitur resupinam mulierem inlecto sic collocare, ut figura ipsius magis sit declivis, crura ipsius elata mulieres utrinque contineant, aut quaedam ministrae." Pauli Aeginet. oper. Lib. VI. Cap. LXXIV.

c) Le Sue, *Geschichte der Geburtshülfe*, *a. d. Franz. Altenb.* 1786. 8. *Bd. I. S.* 62.

d) "Et fortasse quandoque indigebis, ut aperias vulvam ejus cum instrumento os matricis ejus et aperiatur." Avicenna, Lib. III. fen XXI. tract. II. Cap. 24. p. 399.

tem[8]) multum confert et magnitudo vulvae, et vis nervo-

---

Abulcasi [a]) cognoscere licet. Idem in Gallia fecit Ambrosius Paraeus [b]) qui hunc in finem plura instrumenta descripsit et delineavit; in Germania Jacobus Rueffius [c]); seriore autem aetate Osiander [d]) dilatatorium uteri construxit et nuper demum Buschius [e]), quod praecipue in partu praematuro artificiali adhibendum esse laudat. Attamen dolendum est, quod Celsus omnes difficultates morasque partus ex mala dispositione partium mollium praecipueque ex uteri orificio deduxerit, indeque putaverit, sola illarum partium dilatatione lenti partus difficultatem superari posse, in difficillimo autem partu ad extrahendum foetum instrumenta esse adhibenda; nam de incommodis, quae ex mala ossium pelvis conformatione nasci possunt, nihil prorsus dicit. Atque Celsus tamen, Hippocrate [f]) et Galeno [g]) de pelvi nil afferentibus, primus haec ossa accuratius descripsit et virilem pelvim a muliebri differre [h]), luculenter jam hisce verbis ostendit: "A quibus oritur os, quod pectinem vocant; idque, super intestina sub pube transverum ventrem firmat: rectius in viris, recurvatum magis in exte-

---

a) Albucasis, de method. medend. Lib. II. Cap. LXXVII.

b) Ambros. Paraeus, oper. chirurg. Lib. XXIII. Cap. LXII.

c) Jacob Rueff, de conceptu et generatione hominis. Tig. 1554. 4. p. 30. — — . *Hebammenbuch etc. Francf. a. M.* 1600. 4. *Buch III. Cap. VI. S.* 70.

d) Fr. Benj. Osiander, *Handb. der Entbindungsk. Tübing.* 1821. 8. *Bd. II. Abth.* 2. *Cap. VII. S.* 127.

e) Busch, *Ein Ausdehnungswerkzeug des Muttermundes, besonders für die künstliche Frühgeburt, in der gemeins. deutsh. Zeitschr. Bd. VI. Heft* 3. *S.* 369.

f) Joan. Riolani, Oper. Francof. 1611. fol. Anatome Sect. II. p. 454.; ubi omnia collata sunt de osteologia Hippocratis.

g) Galen. de ossibus ad tirones. Cap. XX. Tom. II. p. 772. edit. Kühn.

h) "Il parle de la différence entre le bassin de l'homme et celui de la femme." Schweighäuser, tabl. chronolog. p. 21 et 22.

**rum [9]) ejus, et corporis totius habitus, et mentis etiam**

riora in foeminis, ne partum prohibeat [a])". Seriore demum aetate Aëtius, primus fortasse, hocce loco angustiam ac deformitatem pelvis notavit accuratius: "Sed et ossa pubis nimium conserta, pariendi difficultatem faciunt, dum in partu dilatari non possunt: neque enim velut in viris, ita in mulieribus ossa pubis alternatim conseruntur, sed forti copula connectuntur [b])."

8) Rei facultas idem hic valet, quod rei facilitas.

9) Id quod "*vis musculorum*." Celsus quum musculos, ligamenta et tendines saepius nominaverit nervos, Daniel le Clerc de Celso agens inquit: "Ce que Celse apelle un nerf, est un muscle [c])." Exempla e Celso ipso desumta luculenter hoc demonstrabunt. Ita dicit: "Dependent vero ab inguinibus per singulos nervos, quos κρεμαςῆρας Graeci nominant" [d]); et alio loco: "Ac ne sustineri quidem caput posset, nisi utrinque recti valentesque nervi collum continerent, quos τένοντας Graeci appellant [e])." Reliqua de notione vocabuli "nervus νεῦρον" collegerunt Gorraeus [f]) et Foësius in Oeconomia Hippocratis [g]).

a) Cels. Lib. VIII. Cap. I. p. 508.

b) Aëtii Tetrabibl. quart. Serm. IV. Cap. XXII. p. 871.

c) Daniel le Clerc, histoire de la Médecine. Amsterd. 1723. 4. Seconde Partie. Liv. IV. Sect. II. Chap. IV et V. p. 544.

d) Cels. Lib. VII. Cap. XVIII. p. 455.

e) Cels. Lib. VIII. Cap. I. p. 502.

f) "Caeterum non omittendum est, quod scribitur a Galeno initio Lib. 15. de usu partium disserente de pudendi substantia, nervorum tribus modis dici, uno quidem proprie genus illud totum quod a cerebro et spinali medulla est: altero id quod a musculis oritur et τένων, hoc est tendo, ab Hippocrate dicitur, tertio autem quod Hippocrates σύνδεσμον, id est ligamentum, medici vero post eum νεῦρον συνδετικὸν, id est nervum colligantem, nuncuparunt. Dictum est Graecis νεῦρον ἀπὸ τοῦ νεύειν, quod nutare et flectere significat, ut scribit Gal. initio lib. de motu musculorum." Jo. Gorraei Definit. medic. voc. "Νεῦρον." Francof. 1578. fol. p. 312.

g) Foësii Oeconomia Hippocratis. Francof. 1588. fol. p. 426 et seq.

**robur: cum praesertim intus nonnunquam etiam duae manus [10]) dari debeant.**

**Pertinet etiam ad rem, quam calidissimum esse imum ventrem, et extrema corporis; neque dum inflammationem coepisse, sed recenti re protinus adhiberi medicinam. Nam, si corpus jam intumuit, neque demitti manus, neque educi infans, nisi aegerrime potest: sequiturque saepe cum vomitu, et cum tremore, mortifera nervorum distentio [11]). Verum intus emortuo corpori manus injecta**

---

10) Celsus, quod si dicit: utramque manum interdum intus dari posse, nil dicit aliud nisi: interdum uteri orificio vehementer compresso commode utriusque manus digitos inter partem praeviam et orificium immitti, atque ita uterum dilatari posse. Idem quoque suadet Hippocrates, ut in foetu mortuo fiat. Ita dicit: "Cum pueri capite extra uteri osculum in apertum veniente, corpus reliquum non amplius progrediatur, puer vero mortuus fuerit, digitis aqua madefactis inter uteri osculum et caput insertis, digitum in orbem circumducito, deinde digito mento subdito in os trajecto, foras extrahito." Et "Cum vero reliquum corpus extra pudenda, caput autem intus fuerit, si quidem foetus in pedes feratur, circumductis in orbem digitis, manus ambas aqua madefactas inter uteri osculum et caput immittito et extrahito [a])". Quibus locis etsi tacite tantum indicetur, ad extrahendum foetum manus artificiales adhiberi posse, attamen hoc jam medicos obstetricantes tum tempore ad inveniendam forcipem incitare potuisset; ac mirum est, tot saecula fuisse elapsa, dummodo simplex illa cogitatio sit adhibita.

11) Neque Celso nostro incognita fuisse ea, quae sequuntur ex partu difficili, nempe inflammationem vaginae ac uteri, praecipue

---

a) Hippocr. de superfoetat. ed. Foës. Sect. III. p. 42.

**protinus habitum ejus sentit: nam aut in caput, aut in pedes conversum est; aut transversum jacet; fere tamen sic, ut vel manus ejus, vel pes in propinquo sit [12]).**

**Medici vero propositum est, ut eum manu dirigat vel in caput, vel etiam in pedes, si forte aliter compositus est. Ac, si nihil aliud est, manus vel pes apprehensus, corpus rectius reddit: nam manus in caput: pes in pedes eum convertit [13]). Tum, si caput proximum est,**

portionis vaginalis, et labiorum majorum minorumque, vel foetus pressu, vel contundendis atque extendendis in partu partibus ortam, ad quam ipsam maxime confert id, si caput in pelvi vel diu commoratur, vel cunei simile adigitur, ut etiam inepta, rudis atque quum in explorando, tum in adhibendis manibus instrumentisve obstetriciis et praecipue uncis saepius repetita ratio, luculenter ex his verbis apparet. Addit etiam, hacce inflammatione partem praeviam ita constringi, et molles partes genitales tam angustas, manibusque operationem difficilem reddi posse, ut, si vero inepta atque violenta operandi ratio vel manu, vel instrumentis, ut uncis suscipiatur, non solum parturienti maximos ea afferat dolores, sed etiam uteri ruptura et mors ipsa inde sequi possit.

12) Indicat Celsus his verbis foetus situs, in quibus, ut putat, nasciturus versari potest, primum quidem: capite praevio, deinde pedibus prodeuntibus, ac denique eum, ubi infans transversus jacet.

13) Pauca haecce, quibus commemoratur operandi ratio, cujus hucusque nemo mentionem fecerat, Celsum non solum ex aliorum libris hausisse, sed etiam suo ipsius ingenio atque prudentia ductum permulta observasse, satis bene demonstrarunt [a]). Qui quidem etsi non omnino

a) "La seconde réflexion de cet Auteur, justement appellé l'Hypocrate Latin, est beaucoup plus importante, en ce qu'elle apprend, contre l'opinion

demitti debet uncus, undique laevis, acuminis brevis, qui

---

cognoverit, quanto sit commodo foetus in pedes conversus, nam praeter foetus versionem in pedes, versionem etiam in caput approbat, attamen eo magna sane laude sese dignum reddidit, quod non solum remedium tam insigne nobis commemoravit, sed etiam ostendit, quanta facilitate quantoque commodo res feliciter possit impetrari; haecce enim addit verba: "In pedes quoque conversus infans non difficulter extrahitur." Qua de causa illius experientiam quis non admiretur? Quod quidem meritum CELSO a nuperrimis atque imprimis a BUSCHIO [a]) denegari, quam maxime lugemus. HIPPOCRATES autem non solum ubique caput non praevium convertendum esse docet, dicens: "At vero qui brachium, aut crus, aut utrunque vivi foetus foras emittunt, eos oportet simul ac de exitu significationem fecerint, prius commemorato modo intro retrudere, in caput obvertere et in viam adducere" [b]); sed etiam alio loco hisce verbis agripparum partus improbat: "Grave vero etiam est, si in pedes prodeat, et plaerunque aut matres, aut puelli, aut ambo etiam perie-

---

commune jusqu'alors, qu'on peut terminer facilement et heureusement les accouchemens, sans crochets, en tirant les enfans par les pieds. — Il est vrai que Celse ne parle que d'un enfant mort dans ce viscere, mais il étoit aisé de conclure qu'on pouvait employer avec succès la même pratique, pour accoucher d'un enfant vivant mal situé. C'est pourtant ce que l'on n'a point fait" etc. LE SUE, Essais historiques, littéraires et critiques sur l'art des accouchemens. Paris. 1779. 8. Tom. I. pag. 72.

a) "*Auf dieses Letztere bezieht sich nun auch die nach meiner Ansicht unrichtige Annahme, dass Celsus bereits die Wendung auf die Füsse gelehrt habe, indem hier offenbar anzunehmen ist, dass die Weisung, den Fuss zu ergreifen, sich nur auf den Fall bezieht, wenn ein Fuss in der Nähe ist, und übrigens die Wendung auf den Kopf empfohlen ist.*" BUSCH, *Die regelwidrigen Fruchtlagen bei der Geburt, als Beitrag zur Lehre von der Wendung, in der gemeins. deutsch. Zeitschr. für Geburtskunde. Bd. III. Heft* 3. *S.* 581.

b) HIPPOCR. de morb. mulier. ed. Foës. Lib. I. Sect. V. p. 183.

vel oculo, vel auri, vel ori, interdum etiam fronti recte

runt" a). Eodem modo etsi tantum in mortuis foetibus AËTIUS versionem in pedes commendat, etenim dicit: "At si caput foetus locum obstruxerit, in pedes vertatur atque ita educatur" b). Et quodammodo jam MOSCHION c) CELSI praecepta secutus est, quamquam reliquis foetus positionibus praetulit eam, ubi capite praevio partus fit. Maxime vero dolendum est, CELSI inventa, usu experientiaque ornata, seriores medicos obstetricantes non secutos fuisse, sed relicta versione foetus in pedes, HIPPOCRATICAM illam in caput praescripsisse d), ita, ut decimo sexto demum saeculo PIERRE FRANCO e), AMBOSIUS PARAEUS f) ejusque discipulus GUILLEMEAU g) versionem in pedes denuo resumserint, de qua postea non solum MAURICEAU h) et DE

a) HIPPOCR. de morb. mulier. Lib. I. Sect. V. p. 167.
HIPPOCR. de natur. pueri. Sect. III. p. 28.

b) AËTII Tetrabibl. quart. Serm. IV. Cap. XXIII. p. 873.

c) MOSCHION, de mulier. passion. Cap. CXLVII et CXLVIII.

d) AVICENNA, Lib. III. fen XXI. tract. II. Cap. 25. p. 399.

e) PIERRE FRANCO, Traité des hernies contenant une ample déclaration de toutes leures espèces, et autres excellentes parties de la Chirurgie etc. Lyon. 1561. 8. Chap. LXXXIV. "Pour l'extraction de l'enfant."

PIERRE FRANCO, *Ein Beitrag zur pragmatischen Geschichte der Geburtshülfe, mitgetheilt von* ED. v. SIEBOLD *in dessen Journ. Bd. XII. St.* 1. *S.* 1.

f) AMBROS. PARAEI oper. chirurg. Lib. XXIII. Cap. XXVI. "De foetus tum viri tum mortui chirurgica ab utero extractione." p. 682.

g) GUILLEMEAU, De la grossesse et de l'accouchement des femmes. Liv. second. Chap. XXIII et seq.

h) "Pour moi je suis en cela d'un sentiment tout contraire au leur, et ceux qui se connoissent en l'art seront assurement de mon avis; qui est que toutes les fois que l'enfant se presente en mauvaise posture, par telle partie du corps que se puisse être, depuis les épaules jusques aux pieds, il est plus sûr et c'est plutôt fait, de tirer par les pieds" etc. MAURICEAU, Traité des maladies des femmes grosses. Paris. 1683. 4. Liv. II. Chap. XXII. p. 268 et 69.

**injicitur; deinde attractus infantem educit [14]). Neque**

LA MOTTE [a]), sed etiam SMELLIE [b]) et dignissimus STEIN sen. [c]) optime meruerunt. In versione in caput quoque, quam hic commendavit, CELSUS rudibus HIPPOCRATIS artificiis [d]) relictis, definitam et meliorem operandi viam nobis tradidit; quam operationem non modo nuper SMELLIE [e]) praeter caeteros observavit, sed etiam WIGAND [f]), D'OUTREPONT [g]), BUSCH [h]) et RITGEN [i]), magnopere de ea meriti, iterum revocaverunt.

14) Uncis jam antiquissimis temporibus mortui infantes ex utero

a) DE LA MOTTE, *Eine historisch-kritische Revision von* W. J. SCHMITT, *in* EL. v. SIEBOLD's *Journ. Bd. I. St.* 1. *S.* 1.

b) SMELLIE, *Theoret. und practische Abhandlung von der Hebammenkunst. Aus dem Engl. übers. von* JOH. ERH. ZEIHER. *Altenb.* 1755. 8. *Bch. III. Cap. IV. Abschnitt* 4. *S.* 364.

c) G. W. STEIN, *Practische Anleitung zur Geburtshülfe. Marb.* 1797. 8. *Cap. VII u. IX. S.* 57 *u.* 75.

d) "Ab utroque vero pede hinc et illinc vir unus eum attollat, ut lectus recta dedicat, plano et aequabili momento, ne quid in eo divellatur. Concutiendum autem maxime simul ac partionis dolores urgent" etc. etc. HIPPOCR. de morb. mulier. Lib. I. Sect. V. p. 182.

e) SMELLIE, *Theor. u. pract. Abhandl. etc. übers. von* J. E. ZEIHER. *S.* 186 et sq.

SMELLIE, *Sammlung besond. Fälle und Bemerkungen in der Hebammenkunst. Aus dem Engl. übers. von* G. H. KÖNIGSDÖRFER. *Altenb.* 1763. 8. *Bd. II. S.* 287 *u. ff.*

f) WIGAND, *Drey den medicinischen Facultäten zu Paris und Berlin zur Prüfung übergebene geburtshülfliche Abhandlungen. Hamb.* 1812. 4.

g) D'OUTREPONT, *Von der Selbstwendung und der Wendung auf den Kopf. Würzb.* 1817. 8.

D'OUTREPONT, *Ueber die Wendung auf den Kopf durch äusserliche und innerliche Handgriffe, in dessen Abhandlungen und Beiträgen geburtshülfl. Inhalts. Würzb.* 1722. 8. *Th. I. S.* 69.

h) BUSCH, *Geburtshülfl. Abhandl. u. s. w. Marb.* 1826. 8. *S.* 27 *u.* 76.

i) RITGEN, *Anzeigen d. mechan. Hülfen bei Entbindungen. Giefs.* 1820. 8. *S.* 411.

RITGEN, *Ueber die Wendung auf den Kopf, in der gemeins. deutsch. Zeitschr. Bd. II. Heft* 2. *S.* 213. — *Bd. IV. Heft* 2. *S.* 261. — *Bd. V. Heft* 2. *S.* 242.

tamen quolibet is tempore extrahi debet. Nam, si compresso vulvae ore id tentatum est, non emittente eo, infans abrumpitur, et unci acumen in ipsum os vulvae de-

---

extrahebantur, ut ait HIPPOCRATES: "Caput gladiolo dissectum, instrumento, quod confringat (πίεστρον dicitur) comminuitur, et ossicula per ossium volsellam extrahito, aut unco attractorio ad claviculam uti firmiter adhaereat immisso, non confestim, sed paulatim remittendo et rursus adurgendo extrahito" [a]); attamen CELSUS demum accuratius uncorum usum monstravit [b]), descriptionem quandam addens uncorum iis similium, quos postea PARAEUS [c]), GUILLEMEAU [d]), MAURICEAU [e]), LEVRET [f]), SMELLIE [g]) ac nuper DAVIS [h]) commemorarunt. Quos in locos aptissime talia instrumenta ex veterum opinione inferri possint, refert AËTIUS: "Caeterum loci ad infigendum instrumentum idonei, in capite sunt, oculi, aurium meatus, os, menti pars inferna; in tho-

---

a) HIPPOCR. de morb. mulier. Lib. I. Sect. V. p. 183. ed. Foës.

b) Praeceptis CELSIANIS de applicandis uncis fere similia sunt ea, ab ALI BEN ABBAS laudata, ubi de uncorum usu loquitur.

ALI BEN ABBAS, Liber totius medicinae necessaria continens etc. Lugdun. 1523. 4. Lib. IX. practic. Cap. LVIII. p. 283.

c) AMBROS. PARAEUS, oper. chirurgic. Lib. XXIII. Cap. XXVI. p. 683.

d) GUILLEMEAU, de la grossesse et accouchement des femmes. Paris. 1642. 8. Livre second. Chap. XVI. p. 173.

e) MAURICEAU, Traité des maladies des femmes grosses etc. Livr. II. Chap. XXXIV. p. 311. Fig. XXVII. A et B.

f) LEVRET, *Wahrnehmungen von den Ursachen und Zufällen vieler schwerer Geburten. Aus dem Franz. übers. von* J. J. WALBAUM *Lüb. u. Alton.* 1761. 8. *Bd. II. S.* 477. *Tab. I. Fig.* 1 *u. ff.*

AITKEN, *Grundsätze der Entbindungskunst. Aus dem Engl. übers. von* C. H. SPOHR. *Nürnb.* 1789. 8. *S.* 275. *Tab. XXIV. Fig.* 3.

g) SMELLIE, Tables anatomical. Edinb. 1787. fol. Tab. XXXIX. Fig. *a*, *b* et *c*.

h) DAVIS, Elements of operative midwifery. Lond. 1825. 4. Pl. XIII., XIV., XV. et XVI.

**labitur; sequiturque nervorum distentio, et ingens periculum mortis. Igitur, compressa vulva, conquiescere; hiante, leniter trahere oportet; et per has occasiones paulatim eum educere. Trahere autem dextra manus uncum; sinistra, intus posita, infantem ipsum, simulque dirigere eum debet[15]).**

---

race axillae, claviculae, praecordia, pectus, vertebrarum articuli, jugulum; in cruribus ossa pubis, foemineum pudendum" [a]); quocum consentit PAULUS AEGINETA [b]). Quod si vero in quibusdam casibus, qui capitis diminutionem excerebratione perficiendam requirunt, non sola cranii perforatio sufficit, sed etiam ossium ablatio capitisque attractio uncorum acutorum ope expostulantur, hic quoque post HIPPOCRATEM primus cranii perforationis sensu latiori praeceptor nominandus est CELSUS. Nec non hodie quoque unci acuti ad difficiliorem partum perficiendum non modo necessarii, sed etiam, quibus minus carere possimus quam perforatorio, a medicis obstetricantibus et imprimis a KILIANO [c]) nominantur.

15) Praeclara CELSI dicta, quae unci descriptionem sequuntur! Cautissime in uncis adhibendis agi jubet, sicut enim, ut supra vidi-

---

a) AËTII Tetrabibl. quart. Serm IV. Cap. XXIII. p. 874.

b) PAULI AEGINET. oper. Lib. IV. Cap. LXXIV.

Extrahendi mortui foetus instrumenta, quibus veteres medici usi sunt, describit etiam TERTULLIANUS, Lib. de Anima. Cap. XXV.

AUG. CHRISTOPH. LANGBEIN, Specimen embryulciae antiquae ex Q. Septim. Flor. Tertulliani Lib. de Anima. Cap. XXV. Hal. Magdeburg. 1754. 4.

c) "*Zur Vollendung eines schwierigen Geburtsgeschäftes, wo die Perforation unerläfslich ist, bedarf aber der Geburtshelfer noch anderer Instrumente als der Perforatorien, unter denen der scharfe Haken obenan steht, und es kann gar nicht bezweifelt werden, dafs dieses Werkzeug in jeder Hinsicht unentbehrlicher ist, als das schädeleröffnende Instrument selbst, ja, dafs immer die Aussichten zur Vollendung der Operation die bedenklichsten sind, sobald der Haken kein zuverlässiger ist.*" HERM. FR. KILIAN, *Operative Geburtshülfe. Bonn.* 1834. 8. *Bd. II. S.* 714.

Solet etiam evenire, ut is infans humore distendatur, exque eo profluat foedi odoris sanies. Quod si tale est, indice digito corpus illud forandum est, effuso humore, extenuetur: tum id leniter per ipsas manus recipiendum est. Nam uncus injectus facile hebeti corpusculo elabitur: in quo quid periculi sit, supra positum est [16].

mus, partes genitales molles inflammatione tam angustae fieri possunt, ut operatio non modo fiat difficillima, sed etiam omnino non sit perficienda, ita quoque uncis celerius atque incautius adhibendis parturientium genitales tali modo vulnerari et dilacerari posse dicit, ut mors ipsa inde sequi possit. Quae quum ita sint, hic quoque cautissime agendum, extractionem non festinandam esse censet, et ut, dextra uncum dirigente, sinistram manum inferamus, non solum ut foetus recte dirigatur, sed etiam ne unco, si forte elabatur, mater laedatur, nobis suadet.

16) Celsus hic ostendit modum, quo infans aqua turgidus et jam putrescens, qui ob distentionem solis naturae viribus nasci nequit, ad partum accommodari possit. Neque enim fugiebat illum, eadem ratione, qua hydrocephalus ante perforationem cranii et aquae emissionem ipsa forcipe aliisque artificiis pari nequeat, ita etiam in ventre hydropico ante abdominis paracentesin, — ad quam solo digito indice usus est Celsus, — fieri non posse, ut perversus situs, ubi infans transversus abdomineque plus minusve praevio positus est, versione foetus in pedes in normalem situm mutetur, et ita partus ad finem adducatur, etsi adhibeantur omnia remedia, quae in praesto sunt. In extractione corporis nunc collapsi denuo maximam diligentiam nos commendat, atque quum uncus immissus e foetus corpore aqua putrefacto facillime elabi, et matri nocere possit, solas potius manus adhiberi mavult. Similia praecipit Aëtius his verbis: "At vero si caput, vel natura, vel hydrocephala affectione aquosa, magis tumi-

In pedes quoque conversus infans non difficulter extrahitur; quibus apprehensis per ipsas manus commode educitur.

Si vero transversus est, neque dirigi potuit, uncus alae injiciendus, paulatimque attrahendus est. Sub quo fere cervix replicatur, retroque caput ad reliquum corpus spectat [17]. Remedio est, cervix praecisa; ut separatim utraque pars auferatur. Id unco fit, qui, priori similis, in interiore tantum parte per totam aciem exacuitur [18]. Tum id agendum est, ut ante caput, deinde reliqua pars auferatur: quia fere, majore parte extracta, caput

dum, impactum fuerit, scalpro incidendum est, atque ita evacuatum ac contractum extrahendum" [a]).

17) Idem accidit in xenodochio Berolinensi [b]), ubi in foetu putrescente, digitis in unci modum in axillam immissis simul cum humero caput omnino compressum extractum est.

18) Celsus hisce et sequentibus verbis: "At si pes alter juxta repertus est, alter retro cum corpore est, quidquid protractum est, paulatim abscindendum est:" indicat operationem tunc temporis maxime florentem, quae, quod consequi volumus, cum cranii perforatione omnino consentit, nimirum foetus mortui in utero materno dissectio ejusque extractio attractoriis instrumentis et uncinis, (Embryotomia, Embryulcia) [c]), quam ad perficiendam uncum, ei quem dixi similem,

a) Aetii Tetrabibl. quart. Serm. IV. Cap. XXIII.

b) Ed. v. Siebold, *Eilfter Bericht über die Berliner Gebäranstalt u. die damit in Verbindung stehende Poliklinik vom Jahre* 1828. *in dessen Journ. Bd. X. St.* 1. *S.* 23.

c) Hippocr. de mulier. morb. ed. Foës. Lib. I. Sect. V. p. 183.

Hippocr. de foetus in utero mortui exectione. Sect. VI. p. 193.

Aetii Tetrabibl. quart. Serm. IV. Cap. XXIII. "De foetus extractione et exectione." Philumeni.

**in vacuam vulvam prolabitur, extrahique sine summo periculo non potest.**

**Si tamen id incidit, supra ventrem mulieris duplici panniculo injecto, valens homo, non imperitus, a sinistro latere ejus debet assistere, et super imum ventrem ejus**

at non modo acutum, sed etiam secandis aptum imprimis commendat; similia instrumenta postea construebant PARAEUS[a]), MAURIÇEAU[b]), DAVIS[c]) atque alii. Injuste tamen OSIANDER jun.[d]) putat, HIPPOCRATEM, CELSUM aliosque, quoties de embryotomia agant, humanitate sola perductos de mortuis tantum foetibus loqui. Attamen quum decimo sexto saeculo versione in pedes adhibita et forcipe inventa nova acquisiverimus auxilia, in hodierno literarum statu operandi ratio non solum inutilis, sed etiam plane rejicienda esse videtur. Quam ob rem rarissime certe et semper cum moderatione quadam embryotomia adhibenda, et illa quae CELSO placuit ratio hic tantum accipienda erit: primum, si tanta est pelvis angustia ac deformitas, ut perforatio cranii fieri non possit, sectio caesarea autem a matre vel propinquis non conceditur; deinde in partubus monstrosis, qui ob singulorum membrorum deformitatem neque natura, neque arte per pelvim deduci possunt; ac denique — hic tamen rarissime, ut CARUS[e]) bene docuit, — ubi in infantis transverso situ versio in pedes necessaria quidem videtur, sed propter nimiam praeviae partis compressionem in superiori pelvis apertura, et ob vehementiorem uteri contractionem

a) AMBROS. PARAEI oper. chirurgic. Lib. XXIII. Cap. XXVI. p. 683.

b) MAURICEAU, Traité des maladies des femmes grosses etc. Liv. II. Chap. XXXIV. p. 311. Fig. XXVII. D.

c) DAVIS, Elements of operative midwifery. Pl. XVII.

d) J. Fr. OSIANDER, *Handb. der Entbindungskunst. Bd. III. 2. Aufl. Tübing.* 1833. 8. *S.* 221. *Anmerk.*

e) CARUS, *Lehrb. der Gynaecologie.* 1828. 8. *Bd. II.* §. 1257. *Anmerk.*

duas manus imponere, alteraque alteram premere: quo

adhiberi nequit, maxime quia aptum vertendi tempus omissum erat [a]). Ceterum ubi DEISCHII [b]) et MITTELHAEUSERI [c]) libros perlegimus, qui praeterlapso demum saeculo nil aliud praecipiebant, nisi in utero materno aptissime dissecandos atque corrumpendos esse miseros foetus, atque adeo si conferimus ea, quae OSBORN [d]) et nuperrime

a) SAMEL, *Bemerkungen über Armgeburten*, in *Ed. v. Siebold's Journ.* *Bd. IX. St.* 3. *S.* 653.

ED. OEHLER, *Ueber Embryotomie, Embryulcie, Zerstückung der Frucht*, in *der gemeins. deutsch. Zeitschr. für Geburtskunde. Bd. VII. Heft* 1. *S.* 105.

WITTKE, *Ueber das Auslösen des Oberarms, aus dem Schultergelenke des Kindes, bei der Vorlage und Einkeilung der Schulter, nebst geburtshülflichen Miscellen*, in *Ed. v. Siebold's Journ. Bd. XVI. St.* 3. *S.* 584.

De Embryotomia confer. adhuc:

REIN MESDAG, Diss. de partu difficili instrumentis secantibus absolvendo. Groning. 1810. 8.

STEIDELE, *Abhandlung von der Geburtshülfe. Th.* 4. *"Von dem Gebrauche der Instrumente." Wien.* 1814. *S.* 74.

BIEGON V. CZUDNOCHOWSKY, *Ueber die Verkleinerungsoperation des Kindes im mütterlichen Uterus*, in *der gemeins. deutsch. Zeitschr. für Geburtskunde. Bd. VII. Heft* 4. *S.* 510.

v. FRORIEP, *theoret.-prakt. Handb. der Geburtshülfe. Weim.* 1832. 8. §. 500.

JOERG, *Handb. der Geburtshülfe. Leipz.* 1833. 8. §. 494.

ED. V. SIEBOLD, *Abbild. a. d. theoret.-pract. Geburtshülfe. Berl.* 1835. 8. *S.* 363.

b) JO. ANDR. DEISCH, *Vermehrte und in der Erfahrung gegründete Abhandlung, dafs weder die Wendung noch englische Zange in allen Geburtsfällen vor Mutter und Kind sicher gebrauchet, und dadurch die scharfen Instrumente gänzlich vermieden werden können. Frankf. u. Leipz.* 1766. 8.

c) JOH. DAN. MITTELHÄUSER, *Practische Abhandlung vom Accouchiren, in welcher die Instrumente, die dabei zu gebrauchen sind, nebst der Art und Weise, wie sie bei verschiedenen schweren Geburten sind angewendet worden u. s. w. aus vieljähriger Erfahrung angezeiget und beschrieben werden. Leipz.* 1754. 8.

d) OSBORN, Essays on the practice of midwifery. Lond. 1792. 8.

"—", *Versuche über die Geburtshülfe in natürlichen und schweren Geburten. Aus dem Engl. übers. von* CH. F. MICHAELIS. *Lign.* 1794. 8.

**fit, ut illud caput ad os vulvae compellatur; idque eadem ratione, quae supra posita est, unco extrahitur [19]).**

**At si pes alter juxta repertus est, alter retro cum**

---

Davis [a]), Angli, docuerunt de extrahendo foetu amputandoque capite, quem ad finem Davis proprio cultro, quem descripsit, uti solebat, — quod si haec omnia reputamus, num Celsus noster erit vituperandus?

19) Postquam in antecedentibus docuerat Celsus, in partu difficili foetus truncum, partum saepius impedientem, a capite in apertura pelvis superiori esse dissecandum, et singulas partes extrahendas [b]), quam rationem postea v. Hoorn [c]), Smellie [d]), Schweighaeuser [e]), et praecipue la Chapelle [f]) denuo introduxerunt, sequentibus hisce verbis, dissectione facta, caput primum atque deinde reliqua corporis removenda esse docet, — quod item fecit Smellie capite forfice dissecto —, quum alioquin foetus caput in uterum relabi, neque sine magno labore et periculo educi posset. Quod si vero caput super aperturam pelvis superiorem relictum est, Celsus manibus et vi diversis ex partibus adhibita caput abruptum ita ad orificium uteri

---

*a*) Davis, Elements of operative midwifery. Pl. XVII, XVIII et XIX.

*b*) Laurent. Heister, Institutiones chirurgicae. Amstel. 1739. 4. Pars II. Sect. V. Cap. CLIII. IX. p. 1068.

*c*) Joh. v. Hoorn, *Wehmütter Siphra und Pua. Stockh. u. Leipz.* 1743. 8. *S.* 275 *u. ff.*

*d*) Smellie, *Theor. und pract. Abhandl. S.* 384.

*e*) J. F. Schweighaeuser, *Das Gebären nach der beobachteten Natur und die Geburtshülfe nach dem Ergebnisse der Erfahrung. Strasb. u. Leipz.* 1825. 8. *S.* 233 *u.* 34.

*f*) "Le troisième procédé consiste à tirer sur le bras comme dans le premier, mais après la section du cou et la séparation de la tête. Cette opération, comme on le sent bien, ne peut être conseillée que pour les cas extrêmes, dans lesquels la mort du foetus est indubitable et la version impossible" etc. etc. Mme. La Chapelle, Pratique des accouchemens etc. Paris. 1821. 8. Tom. II. Cinq. mém. Artic. VII. p. 208 et 209.

corpore est, quidquid protractum est, paulatim abscin-

internum ducendum esse docet, ut nunc facillime apprehendi possit [a]). Simile quid placet SMELLIO [b]) de capite abrupto et in utero relicto, etenim vi externa super ossibus pubis ad uterum versa caput firme statuendum, indeque ad instrumentorum auxilium transgrediendum esse refert. Hinc postea prodiit alia agendi ratio, nempe omnem infantis situm, quicunque sit sola indicata via manibus mutandi et corrigendi, quae, etsi jam a JACOBO RUEFFIO [c]), SCIPIONE MERCURIO [d]) aliisque incepta, primum tamen a WIGAND [e]) introducta est. Quin et JAPANESNES, praecepta KAGAWA-GEN-ETS [f]), medici obstetricantis in urbe M'Jako celeberrimi, secutos hanc externam situm mutandi et corrigendi rationem adhibere scimus. Postea, quoties caput abruptum super aperturam pelvis superiorem esset, varias extrahendi methodos introducebant [g]). Nimirum placenta remota manu immissa caput vel in situm forcipi applicandae aptum, i. e. in calvariam proferre studebant [h]), quem ad finem adhibebant etiam forcipem dentatam (HILDANUS, SOLINGEN, PUISSEAU, SCHURER, FRIED.) vel, ut supra dixi, ministro

a) ALPHONSUS LE ROY quid de hisce verbis CELSIANIS sentiat, ita dicit: *"Wir glauben, daſs man aus diesem Handgriff gelegentlich einigen Vortheil ziehen könne, welcher nur deswegen, weil er nicht genug entwickelt worden, miſsbilliget ward"* *u. s. w. Dessen Litterärhistorie und practischer Unterricht in der Entbindungskunst, übers. von* JOHAN. NUSCHE. *Frankf.* 1779. 8. *S.* 27.

b) SMELLIE, *Theoret. und pract. Abhandl.* l. laud.

c) JAC. RUEFF, *Ein schön lustig Trostbüchle etc.* 1554. *S.* 50.

d) SCIPIONE MERCURIO, La Commare, *übers. von Welsch. Leipz.* 1653. 4. *S.*321.

e) WIGAND, *Drey den medicinischen Facultäten zu Paris und Berlin zur Prüfung übergebene geburtshülfliche Abhandlungen. Hamb.* 1812. 4. *S.* 37 *u. ff.*

f) PHIL. FR. V. SIEBOLD, *Beantwortung einiger Fragen über die Japanische Geburtshülfe, durch meinen Schüler Mimazunza, Arzt zu Nangasaki. Aus dem Holländ. übers. in El. von Siebold's Journ. Bd. VI. St.* 3. *S.* 687.

g) AETII Tetrabibl. quart. Serm. IV. Cap. XXIII. p. 873. et 74.

h) SMELLIE, *Theoret. und pract. Abhandl.* l. laud.

dendum est: et, si clunes os vulvae urgere coeperunt, vim externam ad caput adhibente, cranii perforationem suscipiebant. Utebantur quoque capitrahis (*Kopfzieher*, Tires-tête), ut monstrarunt Paraeus (Pedes gryphii, ex Dalechampio delineati), Mauriceau (Crochet mousse), Grégoire (Tire-tête à charnière et à ressort), Levret (Tire-tête à trois branches — Tire-tête à bascule), Petit, Smellie, Burton (Extractor), Bacquié (Tire-tête à double croix), Assalini et alii; vel iis capitrahis, quae Germanice vocantur "*Kopfschlingen*", vel marsupiis et capitis fundis (*Kopfnetze und Schleudern*), ut descripserunt Pugh, Burton, Pean, Smellie, Grégoire, Mauriceau, Dionis et alii [a]) vel eo, quod nuper Baudelocque [b]) jun. protulit instrumento, Cephalotribe, proprie

*a*) De diversis capitrahis, marsupiis et capitis fundis conferas: J. C. Voigt, De capite infantis abrupto, variisque illud ex utero extrahendi modis. Giess. 1743. 4. cum tab aen.

Fr. J. Overkamp, resp. F. M. Wechsung, De capitis abrupti et in utero relicti variis extrahendi methodis. Heidelb. 1757. 4. c. icon.

Jo. Sylv. Saxtorph. praes. Matth. Saxtorph, Examen armamentarii Lucinae. Havn. 1795. 8. p. 68 et 171.

Schreger, *Uebersicht der geburtshülflichen Werkzeuge und Apparate. Erlang.* 1810. 8. *S.* 79 *u.* 97.

Levret, *Von der Weise, wie man einen abgerissenen Kopf eines Kindes, der in der Gebärmutter zurückgeblieben, herausholen soll. In dess. Wahrnehm. Bd. I. S.* 3.

Stein, *Von dem Abreissen und Zurückbleiben des Kopfes nach der Fussgeburt. In Ed. von Siebold's Journ. Bd. XI. St.* 1. *S.* 1.

Ed. von Siebold, *Abbildungen aus der theoret.-prakt. Geburtshülfe, Berl.* 1835. 8. *S.* 311. *Taf. LXXXIII. LXXXIV. LXXXV u. LXXXVI.*

*b*) Revue médicale française et étrangère, et journal de Clinique de l'hôtel Dieu u. de la Charité etc. Août. 1829. p. 322.

C. Ph. Papius, *Bemerkungen über ein neues, von Hrn. Baudelocque d. J. zu Paris angegebenes Instrument zur Excerebration, in der gemeins. deutsch. Zeitschr. für Geburtskunde. Bd. VI. Heft* 2. *S.* 181.

Ritgen, *Einige Worte über den Kopfzerschaller. Ebendas. Bd. IV. Heft* 2. *S.* 200.

iterum retro repellendae sunt, conquisitusque pes ejus adducendus [20]). Aliaeque etiamnum difficultates faciunt,

ad cranii perforationem tollendam facto, quum eo caput ita comprimi possit, ut planum fiat, et cerebrum ex orbitis, naribus et ore appareat; atque hoc instrumentum a compluribus et imprimis a KILIANO [a]) optimum et matri in illa operatione maxime conveniens censetur At ubi caput jam in superiorem pelvis aperturam et cavitatem pervenit, aut manibus adjuvandum, — quod bene monstrarunt BAUDELOCQUE [b]), MENDE [c]) et KILIAN [d]), — aut secundum CELSUM caput extrahendum est unco, et quidem aptissime eo a SMELLIE [e]) descripto, vel capitrahis supra memoratis.

20) Hic quoque CELSUS primus fuit, qui partum natibus praeviis in agrippinum partum commutare jussit, quum ante eum non modo partus, ubi pedes prodibant, sed etiam partus clunibus praeviis magnopere timerentur [f]); qua de causa HIPPOCRATES quoque in hisce foe-

a) HERM. FR. KILIAN, *Operative Geburtshülfe. Bd. II. S.* 515 u. 16.

b) BAUDELOCQUE, L'art des accouchemens. Paris. 1815. 8. Tom. II. Chap. V. Artic. II. Sect. III. "De la rétention de la tête de l'enfant dans le sein de la femme après l'arrachement du tronc, et de celle du tronc après l'arrachement de la tête." p. 247.

c) MENDE, *Von der Abreissung des Rumpfs einer Frucht von ihrem noch in den Geburtstheilen steckenden Kopfe bei Unterstammgeburten und nach Wendungen auf die Füfse; und von der kunstmäfsigen Behandlung solcher Fälle. In der gemeins. deutsch. Zeitschr. für Geburtskunde. Bd. IV. Heft* 3. *S.* 335.

d) HERM. FR. KILIAN, *Operat. Geburtshülfe. Bd. II. S.* 513. u. 14.

e) SMELLIE, *Sammlung widernatürlicher Fälle und Bemerkungen in der Hebammenkunst. Aus dem Engl. übers. von* G. H. KÖNIGSDÖRFER. *Altenb.* 1770. 8. *Bd. III. S.* 366 *u. ff.*

SMELLIE, Tabl. anatom. Tab. XXXVI et XXXVII.

f) "Grave vero etiam est si in pedes prodeat, et plerumque aut matres, aut puelli, aut ambo etiam perierunt. Id quoque magnopere in causa est, cur non facile exeat, si mortuus, aut syderatus, aut duplicatus foetus fuerit." Hippocr. de morb. mulier. Lib. I. Sect. V. pag. 167.

ut, qui solidus non exit, conscisus eximi debeat [21]).

tum in caput vertendum esse censet: "Qui vero conduplicantur foetus et in uterorum osculum incumbunt, eos sive vivos sive mortuos, retro protrusos iterum vertere oportet, ut in caput prodeant secundum naturam" a). Jam superstitione ista, infantes pedibus aut clunibus praeviis natos, si etiam vitam retineant, infortunatos fore, commotos Graecos hunc situm mutasse, PLINIUS b) et AULUS GELLIUS c) referunt. Merito itaque CELSUS laude dignus est, qui primus introduxerit rationem post eum non modo a permultis viris gravissimis, a GUILLEMEAU d), MAURICEAU e), SMELLIE f), LEVRET g), ROEDE-

a) HIPPOCR. de morb. mulier. ed. Foës. Lib. I. Sect. V. p. 183.

b) "In pedes procedere nascentem, contra naturam est: quo argumento eos appellavere Agrippas, ut aegre partos: qualiter M. Agrippam ferunt genitum, unico prope felicitatis exemplo in omnibus ad hunc modum genitis. — — Neronem quoque paulo ante principem, et toto principatu suo hostem generis humani, pedibus genitum parens ejus scribit Agrippina." PLIN. Natur. histor. Lib. VII. Cap. VIII. VI.

c) AUL. GELLIUS, Noct. Attic. Lib. XVI. Cap. XVI.

ED. VON SIEBOLD, Agrippinus partus. *Im encyclop. Wörterbuch der medic. Wissensch. Berl.* 1828. 8. *Bd. I. S.* 674.

GUST. BENEDIX, Diss. de partu Agrippino. Berol. 1828. 8. Cap. I.

d) "Le semblable accident peut advenir quand l'enfant présente les cuisses et fesses les premières. Tel accouchement est fort douloureux, pource que l'enfant remplit toute la matrice" etc. GUILLEMEAU, De la grossesse et accouchement des femmes. Liv. second. Chap. XXIII. p. 204.

e) MAURICEAU, Traité des maladies des femmes grosses etc. Liv. II. Chap. XXIII. De l'accouchement où l'enfant présente l'épaule, le dos, ou le cul. p. 318 et seq.

f) "*In allen Fällen, wo der Hintere eingetreten, ist das sicherste Verfahren allezeit, dafs man ihn hinauftreibt, und die Schienbeine herunterbringt: wofern der Muttermund genugsam erweitert ist, und die Wasser nicht völlig ausgeflossen sind.*" SMELLIE, *Theoret. und pract. Abhandl. S.* 352.

g) LEVRET, L'art des accouchemens. Paris. 1766. 8. Chap. II. Artic. III. Des circonstances qui indiquent la necessité de retourner l'Enfant à terme, ou qui en approche. Sect. première. §. 726. p. 134.

Quoties autem infans protractus est, tradendus ministro est. Is eum supinis manibus sustinere; medicus deinde

---

RER a), aliisque diu adhibitam, sed etiam solam veram commendatam, donec etiam hic BOËRII b), dignissimi Lucinae sacerdotis experientia docuit, situs clunibus vel pedibus praeviis non nisi secundum indicationes constitutas artificiose esse tractandos.

21) Mirum est de perinaei tutela in partu CELSUM nil dicere, quamquam reperiuntur loci et ante eum et post eum, ubi clare indicatur, jam cogitatum fuisse de perinaei ruptura inter parturiendum praecavenda. Quem ad finem HIPPOCRATES c) jam pudenda calente oleo illini jussit; eademque praecepta non modo apud MOSCHIONEM d), AËTIUM e), PAULUM AEGINETAM f), sed etiam postea apud ARABES g) invenimus. Sequentioribus tamen saeculis progressus et studium artis nostrae, qualecunque fuerit, paulatim interire videmus; atque etsi postea in libro, qui inscribitur TROTULA sive EROS h) jam indicetur ratio, qua perinaei rupturam caveas, attamen negari non

---

a) JOAN. GEORG. ROEDERER, Elementa artis obstetriciae. Gotting. 1753. 8. Cap. XVIII. Sect. IV. Partus difficilis et praeternaturalis propter clunes ad os uteri conversas. p. 290.

b) BOËR, *Practische Bemerkungen über diejenigen Geburten, wobei das Kind mit dem Hintern, den Knieen oder den Füfsen kommt; in dessen Abhandlungen und Versuchen geburtshilflichen Inhalts. Wien.* 1793. 8. *Th. III. S.* 34 *u. ff.*

c) HIPPOCR. de morb. mulier. Lib. I. Sect. V. p. 167. ed. Foës.

d) MOSCHION, de mulier. passion. Cap. XLVI et L.

e) AËTII Tetrabibl. quart. Serm. IV. Gap. XV et XVI.

f) PAULI AEGINET. op. de re medic. Lib. III. Cap. LXXVI.

g) AVICENNA, Lib. III. fen XXI. tract. II. Cap. 14.

h) "Praeparetur pannus in modum pilae oblongae, et ponatur in ano, ad hoc ut in quolibet conatu ejiciendi puerum, illud firmiter ano imprimatur, ne fiat hujusmodi continuitatis solutio." EROTIS medic. libert. Jul. muliebrium Liber. Cap. XX. in J. SPACHII Gynaecia. Argentin. 1597. fol. p. 50.

sinistra manu leniter trahere umbilicum debet, ita, ne abrumpat, dextraque eum sequi usque ad eas, quas se-

---

potest rem MAURICEAU [a]), et DE LA MOTTE [b]) temporibus non modo revixisse, sed etiam inde ab hoc tempore medicos obstetricantes magnopere profecisse in auxiliis subsidiisque melioribus adversus pericula, quae perinaeo inter parturiendum impendent. Qua de re si perlustramus antiquiorum et recentiorum scriptorum opera, videmus mox, quam varia fuerint praecepta, quae de perinaei cura data sunt [c]). Dilatabant alii vaginam digitis in cunei formam compressis, alii aut labia majora et perinaei partem vel extrinsecus, vel digitis in intestinum rectum immissis reprimebant, aut digitos inter caput et commissuram labiorum posteriorem ingerebant, ut ita sine ullo damno matris caput pari possit. Alii sola manu ad cavendam perinaei rupturam utebantur; alii nuper incisionem commissurae posterioris genitalium probabant, opinantes vulnera incidendo facta melius sanari posse, quam rupta [d]). Quin etiam eo redierunt, ut resumerent rationem gravibus doctrinae artisque causis adjutam et accuratissime in parturientium lecto disquisitam, quae, si jam alii — fortasse CELSUS noster — unum idemque sensissent,

---

a) MAURICEAU, Traité des maladies des femmes grosses etc. Paris. 1683. 4. Liv. II. Chap. IX et X.

b) DE LA MOTTE, Traité complet des accouchemens. Leiden. 1729. 4. Liv. I. Chap. XXV.

c) L. B. G. LIPPERT, Diss. de perinaei ruptura inter parturiendum praecavenda. Lips. 1826. 8. c. tab. aen.

Ejusd. *Historisch-kritische Darstellung der einzelnen zu verschiedenen Zeiten vorgeschlagenen und in Anwendung gebrachten Methoden zur Unterstützung des Dammes während der Geburt, in Ed. von Siebold's Journ. Bd. VIII. St. 3. S. 746.*

d) G. PH. MICHAELIS, *Geburtsgeschichten in El. von Siebold's Lucina. Bd. VI. Stück 1. S. 23 u. ff.*

LEOP. FR. WEISE, *Ueber die Dammunterstützung, so wie über das Einschneiden der hintern Commissur der Geschlechtstheile, Behufs der Schützung des Mittelfleisches vor Einreißsen; in El. von Siebold's Journ. Bd. VII. St. 3. S. 897 u. ff.*

**cundas vocant, quod velamentum infantis intus fuit; hisque ultimis apprehensis, venulas membranulasque omnes eadem ratione manu diducere a vulva, totumque illud extrahere, et si quid intus praeterea concreti sanguinis remanet [22]. Tum compressis in unum feminibus, illa**

in his certe nunquam vituperanda esset; nimirum illa ratio, qua perinaei tutela ope manus omittitur [a]).

22) In diversis methodis extrahendi placentam jam ab utero solutam antiquissimis temporibus nihil inest, quod nos edocere possit, sed potius dolendum, veteres tam crude et barbare in ea operatione egisse [b]). Jam primus erat HIPPOCRATES, qui remedia non modo externa, sed etiam interna nos docuit, quibus, quod propositum est, facillime consequi putat. Nimirum is solo infantis pondere placentam educere tentavit, qua de causa puerperam super lasano [c]), aut in sella recubitoria, perforata collocavit. Ac ne nimis cito foetus placentam pondere abriperet, haecce dabat praecepta: "Id vero sensim, non vi faciendum, ne praeter naturam distractae secundae inflammationem excitent. Supponendae igitur foetui lanae quam maxime sublatae, recens carptae, quo paulatim cedant, aut utriculi duo copulati aqua pleni, supra quos lanae imponendae, et supra lanas foetus collocandus, deinde uterque utriculus stilo pungendus, quo sensim aqua defluat, qua

a) L. MENDE, *Ueber die Schädlichkeit der Unterstützung des Mittelfleisches beim Durchgange des Kopfes der Frucht durch die Schaamspalte, in der Geburt; in dess. Beobachtungen und Bemerkungen aus der Geburtshülfe und gerichtlichen Medicin. Gött.* 1824. 8. *Bd. I. S.* 27.

b) ED. SANDIFORT et LEON. VAN LEEUWEN, Dissert. De artis obstetriciae hodiernorum prae veterum praestantia, ratione partus difficilis et praeternaturalis. Lugdun. Batavor. 1783. 4. — Continetur quoque in: SCHLEGEL, Syllog. op. minor. Vol. I.

c) FOËSII Oeconomia Hippocratis in voce *λάσανον* et *ἀνακλίσεις*. Francof. 1588. fol. p. 47 et 376.

**sinistra manu leniter trahere umbilicum debet, ita, ne abrumpat, dextraque eum sequi usque ad eas, quas se-**

potest rem MAURICEAU [a]), et DE LA MOTTE [b]) temporibus non modo revixisse, sed etiam inde ab hoc tempore medicos obstetricantes magnopere profecisse in auxiliis subsidiisque melioribus adversus pericula, quae perinaeo inter parturiendum impendent. Qua de re si perlustramus antiquiorum et recentiorum scriptorum opera, videmus, mox, quam varia fuerint praecepta, quae de perinaei cura data sunt [c]). Dilatabant alii vaginam digitis in cunei formam compressis, alii aut labia majora et perinaei partem vel extrinsecus, vel digitis in intestinum rectum immissis reprimebant, aut digitos inter caput et commissuram labiorum posteriorem ingerebant, ut ita sine ullo damno matris caput pari possit. Alii sola manu ad cavendam perinaei rupturam utebantur; alii nuper incisionem commissurae posterioris genitalium probabant, opinantes vulnera incidendo facta melius sanari posse, quam rupta [d]). Quin etiam eo redierunt, ut resumerent rationem gravibus doctrinae artisque causis adjutam et accuratissime in parturientium lecto disquisitam, quae, si jam alii — fortasse CELSUS noster — unum idemque sensissent,

*a*) MAURICEAU, Traité des maladies des femmes grosses etc. Paris. 1683. 4. Liv. II. Chap. IX et X.

*b*) DE LA MOTTE, Traité complet des accouchemens. Leiden. 1729. 4. Liv. I. Chap. XXV.

*c*) L. B. G. LIPPERT, Diss. de perinaei ruptura inter parturiendum praecavenda. Lips. 1826. 8. c. tab. aen.

Ejusd. *Historisch-kritische Darstellung der einzelnen zu verschiedenen Zeiten vorgeschlagenen und in Anwendung gebrachten Methoden zur Unterstützung des Dammes während der Geburt, in Ed. von Siebold's Journ. Bd. VIII. St. 3. S. 746.*

*d*) G. PH. MICHAELIS, *Geburtsgeschichten in El. von Siebold's Lucina. Bd. VI. Stück 1. S. 23 u. ff.*

LEOP. FR. WEISE, *Ueber die Dammunterstützung, so wie über das Einschneiden der hintern Commissur der Geschlechtstheile, Behufs der Schützung des Mittelfleisches vor Einreißen; in El. von Siebold's Journ. Bd. VII. St. 3. S. 897 u. ff.*

**cundas vocant, quod velamentum infantis intus fuit; hisque ultimis apprehensis, venulas membranulasque omnes eadem ratione manu diducere a vulva, totumque illud extrahere, et si quid intus praeterea concreti sanguinis remanet [22]). Tum compressis in unum feminibus, illa**

---

in his certe nunquam vituperanda esset; nimirum illa ratio, qua perinaei tutela ope manus omittitur [a]).

22) In diversis methodis extrahendi placentam jam ab utero solutam antiquissimis temporibus nihil inest, quod nos edocere possit, sed potius dolendum, veteres tam crude et barbare in ea operatione egisse [b]). Jam primus erat HIPPOCRATES, qui remedia non modo externa, sed etiam interna nos docuit, quibus, quod propositum est, facillime consequi putat. Nimirum is solo infantis pondere placentam educere tentavit, qua de causa puerperam super lasano [c]), aut in sella recubitoria, perforata collocavit. Ac ne nimis cito foetus placentam pondere abriperet, haecce dabat praecepta: "Id vero sensim, non vi faciendum, ne praeter naturam distractae secundae inflammationem excitent. Supponendae igitur foetui lanae quam maxime sublatae, recens carptae, quo paulatim cedant, aut utriculi duo copulati aqua pleni, supra quos lanae imponendae, et supra lanas foetus collocandus, deinde uterque utriculus stilo pungendus, quo sensim aqua defluat, qua

---

a) L. MENDE, *Ueber die Schädlichkeit der Unterstützung des Mittelfleisches beim Durchgange des Kopfes der Frucht durch die Schaamspalte, in der Geburt; in dess. Beobachtungen und Bemerkungen aus der Geburtshülfe und gerichtlichen Medicin.* Gött. 1824. 8. *Bd. I. S.* 27.

b) ED. SANDIFORT et LEON. VAN LEEUWEN, Dissert. De artis obstetriciae hodiernorum prae veterum praestantia, ratione partus difficilis et praeternaturalis. Lugdun. Batavor. 1783. 4. — Continetur quoque in: SCHLEGEL, Syllog. op. minor. Vol. I.

c) FOESII Oeconomia Hippocratis in voce *λάσανον* et *ἀνακλίσεις*. Francof. 1588. fol. p. 47 et 376.

**conclavi collocanda est, modicum calorem, sine ullo per-**

effluente utres demittantur ac considant, his autem demissis foetus umbilicum attrahit, umbilicus vero secundas extrahit..... Si vero prae imbecillitate prorsus sedere nequeat, lectum a capite quam erectissimum extruito, ut deorsum declinet, sicque foetus suo pondere quam maxime deorsum simul trahat.“ Funiculo umbilicali autem abrupto, aut maturius absciso: “convenientibus, inquit, appensis ponderibus, secundarum eductio molienda“ a). Qua ratione si placenta removeri non potuit, vel medicamenta sternutatoria b), vel stimulantia, emmenagoga, quin etiam cantharides c) adhibuit. Vel remediis superstitiosis fastidiosisque, ut pulvere placentae siccatae vel aqua ab ea destillata, testiculo equino, urina proprii mariti d), ungulis asinis, lingua chamaeleontis, capite caponis et alia utebantur, quae accuratius descripta apud HERMANNUM e) et DONNERUM f) invenimus. Quae omnia si essent irrita, placentam in utero reliquit, donec putredine colliquata, vel sua sponte exiret g). Similia ad placentam emovendam remedia commendat GALENUS h). Jam vero quam praeclara CELSI

a) HIPPOCR. de superfoetatione ed. Foës. Sect. III. p. 42 et 43.

b) “Ut secundae excidant, sternutatorio indito, nares et os apprehendere oportet.“ HIPPOCR. Aphorism. Sect. V. 49.

c) HIPPOCR. de morb. mulier. Lib. I. Sect. V. p. 173 et seq.

d) SUCHIER, *Volksmittel zur Beförderung der Geburt und lebendiger Geburtsstuhl*; *in Ed. von Siebold's Journ. Bd. XIV. St.* 3. *S.* 545.

e) GOTTL. THOM. HERMANN, Diss. de remedicorum quorundam ad placentam uterinam expellendam commendatorum, tam insufficiente, quam noxio usu. Halae. 1761. 4.

f) CH. HENR. DONNER, Diss. de secundinarum extractione. Lugd. Batavor. 1789. 4.

g) “Plaerumque vero putrescunt, sexto tamen aut septimo die, aut etiam posterius exeunt.“ HIPPOCR. de morb. mulier. Lib. I. Sect. V. p. 173.

h) GALEN. de composit. medicamentor secund. locos. Lib. VII. Cap. V. Tom. XIII. p. 101. ed. KÜHN.

flatu, habente [23]): super imum ventrem ejus imponenda praecepta sunt, quae hodie adhuc multi imitantur! Attamen hic quoque multum temporis abiit, donec rite adhibita sunt, etenim quamquam egregia est MOSCHIONIS [a]) methodus ad placentam extrahendam, attamen ea, quae afferunt AËTIUS [b]) et AEGINETA [c]), maximeque illa operandi ratio quae apud ARABES [d]) invaluit, bene demonstrarunt, quanto felicius egissent, si omnino pauca illa CELSI praecepta diligenter curassent. Quod attinet ad funiculi umbilicalis deligationem et discisionem, haec operatio apud veteres magni momenti habita esse videtur, ut non solum ARISTOTELIS illa verba demonstrant: "Quemadmodum secandus sit umbilicus, pars est non impudentis cogi-

GALEN. de simplicium medicamentor. temperamentis ac facultatibus. Lib. VII. Cap. X. Tom. XII. p. 52. — Cap. XI. p. 58. — Lib. XI. Cap. I. p. 340 et 348.

GALEN. de remediis parabilibus. Lib. II. Cap. XXVI. Tom. XIV. p. 481.

GALEN. de Antidotis. Lib. II. Cap. VIII. Tom. XIV. p. 150. — Cap. IX. p. 152. — Cap. X. p. 165.

Hippocratis aphorismi et GALENI in eos commentarii. XXXV. Tom. XVII. Pars II. p. 824. — XLIX. p. 841.

*a*) MOSCHION, de mulier. morb. Cap. LIII et LIV.

*b*) AËTII Tetrabibl. quart. Serm. IV. Cap. XXIV. De Secundae eductione.

*c*) "Quod si vulvae os connivere fuerit deprehensum, remediis ad hoc commemoratis utendum est. Si vires non fuerint invalidae, etiam iis quae sternutamenta provocant, et aromatum halitu ex fictili vaporari conveniet: etc. .... At si ne sic quidem exemptae fuerint, terrere nos non debet, secundum paucos enim dies putrefactae et in saniem resolutae excidunt." PAULI AEGINET. Lib. VI. Cap. LXXV.

*d*) "Ingenium quidem in extractione quod administratur in ea absque medicamine, est ut sternutet cum aliquo eorum, quae sternutare faciunt: deinde teneat ambas nares et os violenter, quare inspissatur venter, et tenditur et lubricatur secundina. Cumque apparet secundina, tunc tendatur paulatim cum facilitate, et non sit in ea labor, ut non abscindatur. Quum ergo timetur abscisio, stringatur illud quod sequitur manu cum coxa mulieris, constrictione temperata, et elaboretur in sternutatione." AVICENNA, Lib. III. fen XXI. tract. II. Cap. 16. p. 397.

**lana succida, in aceto et rosa tincta [24]). Reliqua curatio**

---

tationis obstetricum. Neque enim sola dexteritate opus est, ut juvare possint mulieres quae aegre pariant, sed etiam praesenti animi vi, ad ea quae evenire queunt: et ad umbilicum infantium vinciendum" a), sed quod jam ex eo videmus, quod ab HIPPOCRATIS aetate res illa vocabatur: "ὀμφαλοτομία" b). Veteres igitur, quum una cum foetu placentam extrahere conarentur, una tantum ligatura ad subligandum funiculum utebantur; at jam MOSCHION meliora edocuit hisce: "Sed eadem ipsa hora, qua natus est, ex utraque parte deligetur, sicque per medium secetur, ne quae peperit ipsa, haemorrhagiam sustineat" c). Nimirum MOSCHION funiculum umbilicalem forfice vel cultro acutissimo dissecuit, quum priores instrumento vel ligneo, vel vitreo, aut calamo acutissimo, aut panis duro cortice usi sint. Neque tamen semper statim foetum a placenta liberandum esse, — quod etiam serioribus medicis obstetricantibus placuit, — quum hac ratione non solum languentem in foetu circulationem ab affluente matris sanguine incitare, sed etiam circulationem plane cessantem renovare studerent, jam HIPPOCRATES docuit hisce: "Muliere aegre pariente, si foetus in naturalibus locis haereat, neque facile exeat, sed cum labore, neque sine medici ope, hujusmodi foetus cum pauci sint temporis, his non ante abscindendus umbilicus, quam urinam reddiderint, sternutarint, aut vocem ediderint, sed siuendi sunt" d). Similia tradit ARISTOTELES, qui in infantibus minoribus atque infirmioribus sanguinis ex funiculo repressionem versus foetum adhibendam esse censet. Ait enim ita: "Saepe autem

---

a) ARISTOTEL. histor. animal. Lib. VII. Cap. XII. edition. JUL. CAES. SCALIGER. Tolosae. 1619. fol. p. 841.

b) HIPPOCR. de morb. mulier. ed. Foës. Lib. I. Sect. V. p. 173. ARISTOTEL. l. laud.

c) MOSCHION. de mulier. pass. Cap. LXV.

d) HIPPOCR. de superfoetat. ed. Foës. Sect. III. p. 43.

talis esse debet, qualis in inflammationibus, et in iis vulneribus, quae in nervosis locis sunt, adhibetur. —

factum est, ut videretur nasci infans mortuus: cum eo infirmo in umbilicum, ac partes circumsitas efflueret sanguis priusquam ligaretur. Verum artifices cautae cum factae essent quaedam obstetrices, expressere intro ab umbilico. Ac statim infans, quasi prius exsanguis, rursus revixerit" [a]).

23) Quod attinet regimen puerperarum bene instituendum, CELSUS etiam in fine hujus capitis non multa sed notione digna addit. Suadet enim, simulac placenta remota, partusque ad finem adductus est, ut puerpera, femoribus in unum compressis, in cubili recens parato collocetur, neque enim fugiebat illum, post partum et praecipue tum quum collocatur puerpera in lecto, aërem a genitalibus esse cohibendum, quia uterus nunc exoneratus et recens vulneratus aëris irritatione facillime inflammari possit, et levissimae jam aureae flatus in uteri cavitatem immissus maximos saepe post partum afferat dolores. Non minus conclave, ab omni afflatu protectum, satis calefactum et ab omni strepitu remotum puerperae solum aptum esse censet.

24) Ventrem puerperae post partum tali modo contegendum, non solum ante CELSUM HIPPOCRATES [b]), sed etiam post eum MOSCHION [c]), AËTIUS [d]) praecipueque ARABES [e]) suadent. Utebantur veteres ad hoc lana succida, ut calefacerent ventrem tam subito vacuefactum, eandem lanam autem aceto et rosa madefaciebant, ut non solum

a) ARISTOTEL. histor. animal. Lib. VII. Cap. XII. p. 841. edition. laud.

b) HIPPOCR. de morb. mulier. Lib. I. Sect. V. p. 152. ed. FOES.

c) "Sed et pubem et abdomen lanis mundis contegere oportet." MOSCHION, de mulier. pass. Cap. LV.

d) AËTII Tetrabibl. quart. Serm. IV. Cap. XXV.

e) JANI DAMASCENI (SERAPION), therapeuticae methodi lib. VII. Basil. 1543. fol. Lib. VII. Cap. XXIX.

vim refrigerantem, sed etiam adstringentem ad puerperae ventrem haberent, quam vim in rosa praecipue etiam laudant DIOSCORIDES a), GALENUS b) et PLINIUS c). —

a) PEDANII DIOSCORIDIS de medicinali materia libr. VI. JOAN. RUELLIO interprete Lib. I. Cap. CXII. Francof. 1549. fol. pag. 60.

b) GALEN. de simplic. medicamentor. temperamentis ac facultatibus. Lib. VIII. Cap. XVII. Tom. XII. p. 114. ed. KÜHN. — Lib. IV. Cap. XIII. Tom. XI. pag. 700. — Lib. III. Cap. IX. p. 559. et Cap. X. p. 561.

GALEN. de composit. medicamentor. secundum locos. Lib. VIII. Cap. III. Tom. XIII. pag. 155.

c) PLINII Natur. histor. Lib. XXI. Cap. XVIII et XIX. LXXIII.

## ERRATA.

pag. 6. lin. 2 et 3. loc. solos reliquos leg. solis reliquis.
— 6. in annot. 1. lin. 1. loc. Medicina leg. Medicinam.
— 14. in annot. 2. lin. 4. post observati add. ad disceptandum proponitur.
— 28. in annot. 5. lin. 4. loc. Basse leg. Basle.
— 40. in annot. b. lin. 1. loc. inlecto leg. in lecto.
— 46. in annot. f. lin. 2. loc. viri leg. vivi.
— 48. lin. 5. loc. comminuitur leg. comminuto.
— 52. lin. 3. loc. supra leg. super.
— 55. lin. 10. loc. JAPANENSES leg. JAPANENSES.
— 62. lin. 12. loc. asinis leg. asininis.
— 62. in annot. c. lin. 1. loc. remedicorum leg. remediorum.